
EXERCITATIONES
THEATRALES

AUTHORE

P. ANTONIO
CLAUS,

Societatis Jesu Sacerdote.





CUM LICENTIA SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO CÆSAREO.



Ingolstadii & Augustæ Vindelicorum.

Sumptibus JOANNIS FRANC. XAV. CRÄTZ, Bibliopolæ Academici, & THOMÆ SUMMER, Bibliop. August.

Typis verò, JOANNIS PAULI SCHLEIG, Typogr Academici, Anno M. DCC. L.



Benevolo Lectori.



Ec illuſtres Tragœdias, nec digna theatris publicis ſpectacula in hoc Opuſculo Lector exſpectes. Cothurnum jam exui, quem olim invitus indueram, humili tantùm ſocco adrepo, & ne id quidem ſponte, ſed alienis votis compulſus: cùm enim pauciores ſint, qui Dramata, & breviores Actiones ſcenicas ſcripsêre; quarum tamen uſus in Gymnaſiis eſt frequentiſſimus, ubi adoleſcentes intra Scholæ unius parietes, & in theatridiis exerceri, & theatris majoribus ſenſim ſolent aptari; ceſſi tandem multorum urgentibus votis, & Magiſtris Scholarum præcipuè amicè communico in primo quidem Tomulo Dramata, quæ olim intra anni decurſum tum in Scholis, tum in Odæis Marianis exhibui: in altero Declamationes, ùt vocamus, & Exercitia Scholaſtica, ab illis tantùm legenda, qui etiam tenuem Muſam non dedignantur.



Facultas R. P. Provincialis cum Privilegio Cæsareo.

CUm D. Joann. Franc. Xav. Grätz, Biblipola Ingolstadiensis Typis vulgare desideret Opuscula, quibus Titulus: *Exercitationes Theatrales &c.* à P. Antonio Claus, S. J. Sacerdote composita, ego Rudolphus Burckhart, Societatis ejusdem per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab A. R. P. N. Francisco Retz, universæ Societatis Præposito Generali, eidem ad hanc primam Editionem facultatem impertio, simúlque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis, atque Typographis interdicitur, ne dictum librum citra consensum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. I. & Hæreditarias S. C. Majestatis Provincias inferre præsumant. In cujus rei fidem has ei manu propria subscriptas, & consuetô Officii mei Sigillô munitas dedi. Augustæ 7. Augusti 1750.

(L.S.)

RUDOLPHUS BURCKHART.

CHARITAS CHRISTIANA.



ARGUMENTUM.

ANtonius Martinius nobilis Hiſpanus, ut fratrem ſuum à Petro Velasquio peremptum vindicaret, apud tribunal Granatenſe publicum Interfectoris ſupplicium impotenti furore urgebat, fruſtra deprecantibus iis omnibus, qui nobiliſſimam Velasquiorum familiam publicæ infamiæ ereptam cupiebant. Tandem hominem aggreſſus *Joannes de Deo* ita furibundum emolliit, ut ipſe Martinius Magiſtratum deprecator accedens, Petro vitæ gratiam exoraverit. Nec amicos modò, ſed & Fratres in Chriſto Petrum & Antonium Joannes effecit. Dum uterque Inſtitutum, quod Fratrum miſericordium vocant, à Joanne fundatum amplexus eſt. *In vita Joannis de Deo.*

A PER-

PERSONÆ.

Joannes de Deo.
Antonius Martinius.
Petrus Velasquius.
Odoardus *Velasquii avunculus.*
Fernandus Velasquius *Petri fraterculus.*
Ramirus *Martinii affinis.*
Dromus *Martinii pedissequus.*

Scena ponitur Granatæ.

ACTUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Martinius Solus.

MOestum cadaver, flebilis Fratris anima
Ubicunque sis, vel horrida si sub styge
Sepulta jaceas, plaudito hac saltem die.
Vitam mucrone perfido ereptam tibi
Hæc hora vindicabit. Et Velasquium
Tuum Latronem carnifex socium tibi
Stygias ad umbras mittet. Hac adhuc die
Hostis cruore poteris ardentem sitim
Et flammeos restinguere Inferni rogos.
Jam stat pudendum pegma. Quo nuper loco
Velasquiana cœsus es frater manu,
Latro cadet Lictoris infami manu.
Has publica tibi Nemesis inferias dabit.

Scena exhibet cubiculum nigris tapetibus obductum, & in eo tumbam cum cadavere &c.

SCENA SECUNDA.

Martinius. Dromus.

Mart. Huc Drome Vestes. Publicum vocat forum,
Martiniúmque vindicem læsæ Domûs,
Et ultionis publicæ testem petit.

Spectabimus Velasquium, & totam Domum
Velasquiorum capite in uno funeri
Tuo immolatam, frater. *Drom.* En vestes Here!
Mart. Et cur nigrantes? barde! *Drom.* Luctui gravi,
Tristíque Fratris funeri aptatas fero.
Mart. Ubi efferetur funus, induam nigras.
Nunc splendidas festiva depoſcit dies.
Drom. Non efferetur igitur hac tandem die
Jam putridum cadaver? ánne, & quamdiu
Fratrem sepulchro Frater arcebit? malè
Tua vapulabit fama. Fratris immemor,
Et charitatis debitæ oblitus diu
Jam diceris. *Mart.* Pensabo, quas traxi, moras
In efferendo funere: hac adhuc die
Granata cernet, quàm sit in suos pius
Martinius. Mox, Frater, exequias tibi
Et Charitatis debitæ exemplum dabo,
Quod obstupescet orbis. Huc vestes mihi
Rubri coloris. *Drom.* Dedecet hic luctum color.
Mart. Imo iste Fratris vindicem decet color
Lætúmque, quò jam pergimus, spectaculum.
Drom. Spectaculum? quale ergo? *Mart.* non vidisti heri
Novum theatrum publico erectum foro?
Drom.

Drom. Ferale vidi pegma. *Mart.* Spe-
ctaculum dabit
Hoc pegma mihi lætiſſimum. Hoc ipſus
modò
Conſcendo, non ſpectator, aſt actor
quoque
Ibi futurus. Corpore avulſum caput
Velasquii calcare furioſo pedi
Erit voluptas. Linteum hoc dudum meis
Nimiùm madeſcens lacrymis, jam ſanguine
Madeat Latronis. Quantus in Fratrem
ſuum
Fuerit amor Martinii, prodet furor
In fratris hoſtem. Publica hæc Urbi dabo
Exempla Charitatis. Effuſum palam
Velasquiano è vertice cruorem bibam.
Drom. Here, obſecro in Velasquium hæc?
in nobilem?
In intimum? tibi familiariſſimum?
Mart. In fratris hoſtem. Fuerat intimus
meus
Velasquius, ligaverat amor mutuus
Utriusque corda: rupit hæc vincla impius
Latronis enſis. Fratris effuſus cruor
Omnes in iſthoc pectore extinxit faces
Amoris. A Velasquio indigne nimis
Penſatus ipſe jam graviùs amor furit.
Drom. Prior ad duellum provocans Fra-
ter tuus
Velasquium coëgit invitum diu,
Ut arma tandem ſtringeret, & ipſe irruit

In vulnus. *Mart.* Obmutefce. Tu verò interim
Mœftum cadaver fratris hoc fpatium dato,
Et fuftineto funeris tui moram,
Dum trifte funus jaceat & latro tuus.

SCENA TERTIA.

Martinius. Ramirus. Dromus

Ram. Agnate! *Mart.* Quid? *Ram.* Noftíne, quòd Velasquius
Hac nocte rupto carcere evafit? dolo
An vi fit ufus, nefcio. Hoc unum fcio,
Evafit. Ita fert publicus rumor, cui
Fidem adftruit dimiffa jam cuftodia,
Quæ carceris fervabat occlufas fores.
Ferale pariter pegma, quod vidimus heri
Juffu Senatûs publico erectum foro,
Modò ipfe rurfum deftrui vidi. *Mart.* Inferi
Et Inferæ! Velasquius liber? Latro
Fratris cruentus falvus? & Frater ftygem
Habitet inultus? Sanguine inimico Domus
Martiniorum nequeat abluere fibi
Suífque cœde publica illatum probrum?
Manes cruentos Fratris, & tumulo carens
Adhuc cadaver teftor, & juro: Locus
Fugæ Latroni nullus in terris erit.
Si vel fub Orco lateat, extraham fcelus.
Quónam aufugiffe dicitur Velasquius?
Ram.

Ram. Fugæ locus, modúsque me hacte-
nus latent.
Dicam tamen, quod suspicor. Nôsti virum,
Quem *de Deo* dicunt. *Mart.* Joannem
putas?
Ram. Ipsissimum. Hic Velasquium quan-
tùm hactenus
Amârit, atque ut vinculis solvat reum,
Tentârit, ipse noveris. Quin primùm heri
Quanto institit fervore -. *Mart.* Divinas
bene.
Ramire! nullùs dubito. Joannis dolus
Solvit Latroni vincla. *Ram.* Saltem noverit
Ubi fugitivus lateat, & quo se - *Mart.* Sat
est.
Velasquium si liberum fecit viri
Dolosa pietas, juro, simplicitas pia
Reddet Latronem vinculis. Rectà peto
Joannis ædes. Sanctus est; simplex tamen.
Deludo fraudes fraudibus, dolos dolis.
Vos interim per compita Urbis currite,
Et certiora inquirite. Ast en! ipsemet.

SCENA QUARTA.

Martinius. Joannes de Deo.

Joan. O triste munus, ad quod hac die
evocor!
Mart. In tempore mihi occurris. Ad
domum tuam

Modò properabam. Memineris adhuc
vir Dei,
Quid tu ipſe de Velasquio heſterna die
Ad me. *Joan.* Memini utique: nempe
herì Martinium
Hortabar, ut, quod nobilem virum decet,
Et Chriſtianum, faceret, atque barbarum
Illud odium deponeret, quo tam improbè
Velasquium perſequitur. Ut Fratris necem
Non vindicaret ipſe, ſed foro Dei,
Et Judici legitimo committeret,
Veniámque non negaret inimico licèt,
Sed Chriſtiano, & ſupplici, & prompto ſua
Morte expiare injuriam illatam tuis.
Hæc, nunquid, ad Martinium heſterna die?
Mart. Ita. Hæc monebas, & bene; ego
Surdus tamen
Et obſtinatus monita rejeci pia.
Sed nox dedit conſilia meliora. Altiùs
Librare cœpi mente, quid tandem Deus,
Quid Chriſtiana Charitas, quid nobili
Dignus animus mihi ſuadeat. Habes Vir
Dei
Tuo obſequentem nutui Martinium.
Tam promptus hodie monita Joannis ſe-
quor,
Quàm pertinax rejeceram heſterna die.
Joan. An ſeriò hæc Martinius? *Mart.*
Meritò ſtupes.
Admiror ipſe, nec capio memet ſatis,
Mentémque tam repentè mutatam. Ferox
Ille

Ille impetus resedit, & tandem locum
Dat Charitati debitæ etiam hosti meo.
Joan. Mutatio hæc est dexteræ Excelsi. Tibi
Generose Domine gratulor Victoriam
De te relatam. Compleas cœptam, precor.
Mart. Complebo dante Numine. Age jam vir Dei
Accede mecum carcerem Velasquii,
Testis futurus seriò me hosti meo
Dedisse veniam. Quin veniam & ipsus petam,
Et hisce stringam brachiis Velasquium.
Joan. Quid? carcerem petamus? an nondum tibi
Innotuit, evasisse vinclis liberum
Velasquium? ídque hac nocte? *Mart.* Quid Velasquius
Evasit? O! *Joan.* Sic publicus rumor modò
Spargit per Urbem. *Mart.* Verus ô utinam foret
Hic rumor! ánne hæc certa credis vir Dei?
Joan. Optaret ergo liberum Velasquium
Martinius? & hoc seriò? *Mart.* Fateor, adhuc
Natura sese opponit incœpto pio,
Manúmque clamat vindicem Fratris cruor;
Sed clamat etiam, & altiùs Christi cruor,
Qui Christianum diligere & hostes jubet.
Natura cedat gratiæ. Martinius

Velasquium esse liberum, & salvum cupit,
Et seriò. Imò hoc unicum ægriùs fero,
Doleóque, quod non liceat amplexum
ultimum,
Datæque veniæ pignus hanc dextram dare
Velasquio. Nunquid etenim spectaculum
Lætissimum omnibus fuisset cernere
Martinium, & Velasquium inter mutuum
Amplexum amica figere sibimet oscula?
Joan. Fuisset utique, ne ambigas, dignum
Deo,
Dignum angelis spectaculum, & adhuc-
dum foret,
Si- *Mart* Quid? paratum ad omnia etiam-
num vides.
Nostíne asylum, vel locum, quò se fugâ
Velasquius subduxerit? ducem sequor.
Te teste, quod promiseram, promptè exe-
quar,
Pignúsque Veniæ mutuum amplexum da-
bo,
Capiámque mutuum osculum à Velasquio
Præi modò, te subsequar. *Joan.* Martinium
Deducere ad Velasquium non est meum.
Mart. Adverto. Dubitas nempe de fide
mea,
Et Jure merito. Hinc pluribus non urgeo.
Ubicunque sit Velasquius, liber modò
Salvúsque sit.

SCE-

SCENA QUINTA.

Martinius. Joannes de Deo. Dromus.

Drom. - - Here, compita Urbis omnia
Percurro. Vinclis liberum Velasquium
Affirmat omnis populus, & lætus quidem,
Plaudénsque. *Mart.* Meritò plaudit, & ego gaudeo.
Quamvìs reluctans animus, at frustra, fremit.
Victoria est complenda. Dixi, gratiæ
Natura cedat. Famule curre, sedulus
Inquire, quisnam carcerem Velasquio
Aperuit. Author prœmium à nobis feret,
Et Liberale. *Joan.* Prœmium Martinius
Spondet viro, qui carcerem Velasquio
Aperuit? *Mart.* Et quod spondeo, effectum dabo.
Granata tota videat Exemplum novum,
Quid Christiana Charitas tandem queat.
Tu Vir Dei supplcto, quod mihi non licet,
Revertere ad Velasquium. Scis, quo locò,
Vel in quo asylo lateat: illum nomine
Martinii constringe complexu intimo,
Et osculare dexteram, ùt ego nunc tuam
Exosculor. Jam lætior repeto domum,
Fratrísque funus curo, cui veniam Deus,
Ut spero, non negaverit, quando Dei
Amore veniam Fratris inimico dedi.

Joan.

Joan. Subsiste Martini. Ut video, agis
serìò.
Arcana pandam. Sequere me ad Velasquium.
Martin. tacitè. Dolus triumphat. Victa
simplicitas viri.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Joannes de Deo. Martinius.

MArtin. Ad carcerem me ducis? *Joan.*
Ad Velasquium
Patent fores. Ingredere.

SCENA SECUNDA.

Joannes de Deo, Martinius. Velasquius.

Velasquius - - Joannes! ades?
Assiste in hora hac ultima Velasquio.
Joan. Adsum vocatus, & quod optabas
magìs,
Mecum hìc adest Martinius. *Vel.* Martinius?
Amice nuper intime, & nisi improbum
Fatum obstitisset, intimum semper tuum
Velasquium experture, cernis supplici
Animo dolentem. Quidquid, invita licèt,
In

In te, tuósque nuper ausus sum manu,
Morte expiabo. Sanguinem pro sanguine
Effundo promptus. Subdo Lictori caput.
Hæc pœna tibi sufficiat, & Velasquio
Post fata saltem ignoscito, nec ultimum
Misero levamen denega, & patere, pedes
Exosculer. Quid refugis? *Joan.* age, quod cœperas
Generose, Veniæ pignus hanc præbe manum
Velasquio. Victoriam comple. *Mart.* Stupet
Attonita mens. In vinculis hæres adhuc?
Adhuc in isto carcere? *Vel* Nec ex carcere
Nisi resecto vertice exibo. *Mart.* Tamen
Velasquium evasisse -- *Joan.* Sic rumor quidem
Sparsit per Urbem, concitus pio dolo,
Nec improbante Consule, à quo gratiam
Hanc impetrârunt denique Odoardi preces.
Mart. Fecitne vitæ gratiam consul reo?
Velas. Amice, vitæ gratiam nemo petere
Est ausus, illud unicum Odoardi preces
Tandem impetrârunt, nempe gratiam necis
Minùs pudendæ. *Joan.* Precibus illustris Domûs
Dedit hoc Senatus, ne foro Urbis publico
Velasquius plectatur. *Vel.* Intra carcerem
Subibo pœnam capitis, & promptus quidem,

Mo-

Modò licuerit dexteram Martinii
Exosculari, & pignus hoc veniæ datæ
Mecum ad Sepulchrum ferre. *Joan.* Morituro negas
Hanc gratiam? num rediit in pectus furor,
Odiúmque? *Mart.* Verbulum, obsecro, soli tibi.

SCENA TERTIA.

Martinius, Joannes de Deo.

Mart. Velasquio Senatus, & Consul favent?
Joan. Famæ Familiæ consulunt, quantùm licet.
Nam plura ne volentibus quidem licent.
Leges habet Granata, quæ - *Mart.* Leges scio:
Donare vitæ gratiam reo vetant,
Nisi læsa pars consenserit. *Joan.* Ita est.
Mart. Quid igitur
Si curiam ipse accederem, Senatui
Supplex futurus? læsa pars primaria
In fratre frater est. Igitur - *Joan.* O si bonus
Injiceret hanc Martinio mentem Deus!
Si semetipsum vincere auderet! *Mart.* utique
Factum probares? *Joan.* Quæris? hoc dudum unicè
Optare, non sperare mens potuit mea.
Hoc

Hoc Christianæ nempe vindictæ genus,
Illustre Charitatis exemplum diu
Granata suspirabat. Hoc unum diu
Senatus exspectabat. Hoc unum meus
Volvebat animus; hactenus nemo tamen
Est ausus à Martinio tam Heroicum,
Tam grande factum petere. *Mart.* Joannes mone,
Ne carnifex Velasquii feriat caput,
Donec redux è Curia Martinius
Huc adsit. *Joan.* Ergo curiam tandem petes?
Mart. Supplex futurus. *Joan.* Perge generose nimiùm
Victor tuimet, perge, Granatæ novum
Da Charitatis specimen. Interim tibi
Denuntio Dei voce, pro hoc actu unico
Remissa jam peccata vitæ totius
Martinio. Certissimam Cœli tibi
Possessionem spondeo. Clarè nimis
Æterna loquitur veritas: *Dimittite, Vobisque dimittetur.*

SCENA QUARTA.

Joannes de Deo solus.

O potens Dei
Mirabilisque dextra! quàm subitò potest
Mutare corda! Quàm solet miseris opem
Afferre subitam! redeo jam ad Velasquium
Liberiore mente felix nuncius.

ACTUS

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Odoardus. Velasquius. Joannes de Deo.

ODoard. Quàm vota vincit omnium Clemens Deus!
Quàm gratulor Velasquio meo, & mihi,
Totíque Domui! *Vel.* Gaudium præceps nimis
Ne sit, cavete. Gratiam vitæ mihi
Necdum Senatus fecit. *Joan.* At Martinio
Poscente faciet. *Odoard.* Nullus est dubio locus.
Fovet Senatus omnis Illustrem Domum
Velasquiorum, gratiam vitæ tibi
Fecisset ultro, ni furor Martinii
Expostulâsset vindicem Nemesis manum.
Hic namque solus Fratris ulturus necem
Lentas secures ursit in caput tuum.
Joan. Sed quàm potenti dextera Dei modò
Mutatus hic Martinius! *Vel.* Dextram Dei
Adeò potentem adoro, quæ si me neci
Nimis pudendæ eripiet, & vitam manu
Martinii conservet, hanc totam Deo
Libabo soli. Non erit Velasquius
Qualis fuerat hucusque. Jam vota repeto,

Et

Et teste Cœlo -- *Joan.* Jam redit Martinius,
Alacrique vultu prodit auditas preces.

SCENA SECUNDA.

Personis prioribus accedit Martinius.

Joan. Nunquid Senatus annuit? *Mart.* Diu quidem
Eludere est conatus oblatas preces,
Vici tamen constantiâ. Ac, ægrè licèt,
In Vota traxi. Lictor hinc absit procul.
Velasqui - *Velas.* Amice patere constringam pedes.
Odoard. Ego dexteram hanc exosculer. *Joan.* Ego nobile
Atque generosum pectus hoc. *Mart.* Absistite.
Matura necdum tempora ad tantas mihi
Grates habendas. *Vel.* Utique vitæ gratiam
Reo impetrâsti solus, & tantâ tui
Victoriâ devincis æternùm tibi
Velasquium. *Odoard.* Jam funus hoc in carcere
Nepos jaceret, tanta ni virtus tua
Jam jam paratæ eriperet infaustum neci.
Joan. Jam carnifex - *Mart.* Hinc carnifex cedat procul.
Non utique, non morietur hoc in carcere
Velasquius; sed publico in foro caput

Lictoris ensi publicus subdat Latro.
Hoc Jura poscunt, poscit hoc Fratris cruor
Velasquii ense in publico effusus foro.
Hanc gratiam mihi debitam tandem annuit
Ægrè licèt Senatus, hanc unam modò
Expostulavi in Curia, & Supplex quidem.
Et postulare debui, ut sic publica
Exempla Charitatis in fratrem darem.
Et adhuc dabo majora. Destructum malè
Ferale pegma denuo ut surgat, volo.
Moriere Latro, & publico in foro quidem
Moriere.

SCENA TERTIA.

Personæ, quæ priùs, excepto Martinio.

Odoard. - Superi! quod novum fulmen? Nepos
Miserande nimiùm! *Vel.* Amice, non mortis metus
Velasquium perturbat, at mortis genus
Adeò pudendum, fateor, hoc pectus novo
Terrore complet, spemque delusam aggravat.
In carcere hoc paratus ad mortem steti,
Hîc subdidissem interritus ferro caput;
Et sanguinem pro sanguine dedissem lubens;
Sed in pudendo pegmate, foro publico
Prostare sub Lictoris infami manu

Velas-

Velasquianæ ſtirpis æternum probrum,
Hoc morte dura durius. *Joan.* Et iſtud
probrum
Velasquianæ ſtirpis, heu! ſoli mihi
Eſt imputandum! Gratiam occultæ necis
Factam à Senatu ſolus everti, nimis
Simplex, nimisque credulus. Ego prodidi
Veſtram Domum, dum prodidi Martinio
Te ſtare adhuc in carcere. Heu! Velas-
quium
Servare volui, perdo jam totam Domum
Velasquiorum! *Vel.* Pone Joannes, rogo,
Vanas querelas. Novimus mentem tuam,
Cui improbus Martinii illuſit dolus.
Joan. Pudore plenus, patere, diſcedam
procul,
Et defleam - *Vel.* Quin ultimâ hac horâ
mane,
Solatiumque ſuggere extremum. *Odoard.*
Mihi
Tentandus eſt Martinius. Forſan furor
Extremus etſi, poterit extrema prece
Miteſcere, ut conſentiat ſaltem neci
Minùs pudendæ in carcere hoc. *Vel.* Spe-
ro nihil.
Ignoſco tamen. Ignoſcat & mihi Deus,
Cujus adoro Dexteram, quæ me ferit
In publico, dum publicè læſi Deum.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Martinius. Ramirus.

MArt. Non approbas hæc facta? non laudas dolos
Velasquianæ ſtirpis eluſos dolo
Subtiliore? nunquid egregia modò
Exempla Charitatis in Fratrem dedi,
Coram Senatu vindicem implorans manum,
Urgensque pœnam publicam? *Ram.* Fictam fugam
Velasquii Senatus ipſe an credidit
Veram eſſe? *Mart.* Saltem finxit, & niſi mea
Induſtria obſtitiſſet, intra carceres
Duntaxat, absque publico probro, reus
Pœnas dediſſet. Nemeſis hebetatam manum
Reſuſcitavi ſolus, & Sententiam,
Ut exequantur publicè, extorſi.

SCENA SECUNDA.

Martinius. Ramirus. Odoardus. Fernandulus.

Odoard. ad Fern. - - Vides
Martinium, huic advolvere. *Fern.* Illuſtriſſime,
Ah parce Fratri, parce! *Mart.* Quid puer hic?
Odoard. Vides
In Innocente parvulo totam Domum
Velaſquiorum Supplicem ad pedes tuos.
Non deprecamur debitam mortem reo,
Mortis genus, locúsque, patere, ſit minùs
Infamis. Intra carcerem ferro caput
Velaſquium ſubjicere ſit ſatis tibi.
Mart. Fratris cruorem publico effudit foro
Velaſquius, jam publico pariter foro
Suum cruorem fundat. Hoc Jura exigunt,
Senatus ipſe ſtatuit hunc pœnæ locum.
Odoard. Te poſtulante ſtatuit, aliud, & lubens,
Modò non repugnes, ſtatuet. Hoc ergo unicum
A Nobili precamur: Illuſtrem Domum
Infamiæ ne publicæ exponas. *Mart.* Domus
Martiniorum pariter Illuſtris, probro

 Affecta



Affecta nimiùm publico, cœde impia
Fratris mei, jam publicum pariter petit,
Dignumque tali stirpe vindictæ genus.
Odoard. Illata levis Injuria est Domui tuæ,
Frater Duello cecidit, Illustri manu
Devictus. *Mart.* An defenditis cœdem
impiam?
An innocentem dicitis Velasquium?
Odoard. Quin ipse se fatetur, & clamat
reum.
Mart. Ergo moriatur impiæ cœdis reus.
Odoard. Moriatur. Ipse utique non renuit mori;
Probro minore liceat infausto mori.
Fernandule, agedum, lacrymis pedes riga,
Et Innocenti pectus emolli prece.
Fern. Ah parce fratri! parce! Per - *Mart.*
Puer apage.
Non lacrymas, sed sanguinem, & quidem manu
Lictoris, inque publico effusum foro
Poscit cruor fraternus, hunc bibet hodie,
Ubicunque modò sit, anima Fratris. *Odoard.*
Per animam
Hanc deprecor, & obtestor ut clemens
DEus
Ignoscat Animæ Fratris, ignoscas Dei
Amore pariter, & aliquid saltem hac die
Da Charitatis legibus. *Mart.* Dedi, & dabo,
Quod Charitas fraterna de Fratre exigit,
Caput Latronis publico abscissum foro.

Odoard.

Odoard. Plus Fratris animæ, crede, Martini dabis,
Si Chriſti amore fueris & in hoſtes pius.
Sic Fratris animæ Judicem dabis pium.
Mart. Jam judicatus frater eſt. Si ſub ſtygem
Demerſus eſt, ſolamen hoc ſaltem feret;
Se vindicatum publicè â Fratre audiet,
Hoſtis reſtinguens Sanguine inferni focos.
Odoard. Ramire, noſtris precibus adjunge & tuas.
Mart. Deſiſte! nil jam percipit juſtus furor.
Etſi Senatus omnis unanimi prece
Supplex adeſſet, tota ſi pedi meo
Granata ſeſe advolveret, non flecteret
Juſta furoris pectus incenſum face.
Odoard. Recedimus Fernandule. *Fern.* An fratri data
Jam Venia? *Odoard.* Veniam ſperet à ſolo Deo.
Mart. Abite. Nos ad pegma ferale. Reſtitas?

SCENA TERTIA.

Martinius. Ramirus.

Ram. Agnate, poſſumus aliquid ſaltem dare
Velasquianis. Nobilem virum decet

Generositas in nobiles. Decet hominem
Humanitas. Velasquius mortem ferat,
Meruit; Sed intra carceres, & - *Mart.* Perfide!
Sic Fratrem amasti? *Ram.* Litteras saltem has lege.
Nôsti manum. *Mart.* Charissimam osculor manum.
Quando tibi Lopezia hanc Epistolam?
Ram. Paulò ante. *Mart.* * Quis dictavit? an fortè ipsemet
Ramirus? *Ram.* Obsignata jam Charta fuerat,
Cùm traderet Lopezia in nostras manus:
Mart. Nôstine quid contineat? *Ram.* Ipsamet mihi
Mandavit hoc negotium urgendum. Potes
Negare porrò gratiam Velasquio
Lopezia rogante? *Mart.* Jam Odoardi dolos
Adverto. Supplex nempe pro reo preces
Extorsit à Lopezia. Quàm sit potens
Amasia in Martinium novit. Per hanc
Hoc pectus expugnare speravit. *Ram.* Preces
Potentiores quærere haud, credo, potuit.
Negare quidquam audebis huic tuæ?
Mart. Preces
Lopeziæ haud sunt feriæ. Si nos amat

* legit tacitè. Dein

Fratris

Fratris Latronem debet odisse. *Ram.* Lacrymis
Vidi madentem, quando chartam hanc tradidit.
Vultus dolorem prodidit acerbum nimis.
Velasquio Lopezia favet Seriò.
Mart. Vultus dolorem prodidit? Velasquio
Lopezia favet Seriò? *Ram.* Verba relege
Epistolæ, fors exprimunt mentem magis.
Mart. legit. *Amare nequeo barbarum. Exhorresceret*
Velasquiano Sanguine rubentem manum
Lopezia. *Ram.* An quid Serium magis queat
Scribi, exprimíque? *Mart.* *Amare nequeo barbarum.*
Amare nequeo barbarum! & Fratris mei
Amet Latronem perfida? An Velasquius
Martinio non intimum Fratrem modò,
Sed etiam Amicam rapiet? *Exhorresceret*
Velasquiano Sanguine rubentem manum
Lopezia. Et Latronis infamem manum
Martiniano Sanguine rubentem fovet?
Morere Velasqui, morere, jam duplici reus
Ex capite. Sponsæ raptor, & Fratris latro.
Ram. Quid nuntiem Lopeziæ? anne- *Mart.* I. nuntia,
Martinium si amaret, ipsa vindicem
Martiniani sanguinis manum suam
Offerret, ipsa stringeret ferrum in caput

 Velas-

Velasquii. Nunc perfidam ſatis probant
Hæ pro Latrone Fratris indignæ preces.
Si nequit Amare barbarum, per me licet,
Amet Latronem. *Ram.* Amice! - *Mart.* amicitiæ tuæ
Renuntio. *Ram.* Aud - *Mart.* Abito. Fratris Sanguinem
Sat vindicabo ſolus. Occidet Latro,
Et occidet carnificis infami manu,
Et publicè. Sic juro, ſic teſtor ſtygem,
Maneſque fratris horridæ incluſos ſtygi.

SCENA QUARTA.

Martinius. Joannes de Deo.

Joan. Vir nobilis, ſi Verbulum licet unicum.
Mart. Abſiſte, moneo, fundis incaſſum preces.
Joan. Non deprecator venio pro Velasquio,
Nec de dolo, vix nobili digno, queror,
Quo perfidè deluſa Simplicitas mea.
Nil dico de danda hoſtibus Venia, nihil
De Charitatis legibus tecum loquar,
His nuper importunus, & Simplex nimis
Laſſare ſum auſus nobilem, quem ſcilicet
Tunc Chriſtianum credidi. Mentem modò,
Sententiámque muto, quando tu fidem.

Laudo

Laudo tuam constantiam invictam, & prece
Nulla movendam. Studia vindictæ probo,
Odiaque dira, legibus Christi quidem
Contraria, at conformia profano foro
Mundi profani. Nobilem verò decet
Audire non quas Christus, at mundus tulit,
Satanásque leges. Igitur immoto pede
Animóque cœpta perfice, aures Vocibus
Hominum, Deique claude. Nil valeant preces,
Nil Innocentûm lacrymæ, aut monita pia,
Nil Christiana Charitas. Forum pete,
Ferale pegma scande, rescissum caput
Velasquii sustolle in altum. Lumina
Visu cruento pasce, generoso pede
Calcato truncum corpus, & si quid super
Cruoris ima lateat in vena, ebibe,
Laudabo Fratris vindicem; memor tamen
Esto miser peccator, * hunc, quem pro omnium
Salute dira pendulum cernis cruce,
Olim futurum Judicem nostrûm omnium.
Ad hoc tribunal nobiles etiam rei
Trepidíque stabunt. Tu quoque infelix reus
Ad hoc tribunal stabis, & forsan brevi.
Et judicandus absque misericordia.
Hanc ipse Judex omnibus legem tulit:

* exhibitâ ... imaginem crucifixi

Judi-

Judicium absque misericordia, qui non fecerit misericordiam.
Jam perge, quò lubebit, at certus scias
Sic te reum tractabit hic Judex tuus,
Ut tu reum Velasquium hac tractas die.
Mart. Esto. Placet conditio. Me tractet DEus
Modo, quo ego Velasquium hac tracto die.
Joan. solus. Verba desperata! quò non abripit,
Si quando pectus hominis obsedit, furor!

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Martinius. Dromus.

Scena iterum repræsentat cubile Velasquii cum tumba, & tumba imposita cruce &c.

MArt. Huc Drome! procul hinc amove effigiem Crucis
Drom. Et quo? *Mart.* Cadaver ex oculis procul.
Drom. Solus movere nequeo. Socios convoco.
Mart. Subsiste. - Quin recede: claude limina.
Admitte neminem. *Drom.* Ut jubes.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Martinius solus.

Quàm me premit,
Et raptat in contraria hic tumbæ, & Crucis
Aſpectus! illinc Frater, hinc Judex movet,
Terrétque. Nimiùm vera Joannes mihi.
Certum & tremendum oraculum ipſius Dei eſt:
Judicium ſine miſericordia, qui non fecerit miſericordiam.
Olim ad tribunal Numinis ſtabo reus,
Reúsque multi criminis,& heu! fors brevi.
Si judicabor absque miſericordia,
Væ, Væ mihi! Si me DEus tractaverit
Modo, quo ego Velasquium, væ, væ mihi!
Quid Statuis anime? num dabimus aliquid DEO?
Pars aliqua miſericordiæ Velasquio
Exhibita miſericordiam & Martinio
A Judice impetrabit. Intra carceres
Fratris Latronem ſi patiar occumbere,
Eſt magna pietas, magna miſericordia,
Qua chriſtiana charitas majus nihil
Exſpectet. At, quò nobili indignus pavor

Abri-

Abripuit? ergo Manibus Fratris hodie
Vindicta deerit publica; & per me quidem?
Ignosce Fratris anima, degeneris pudet
Fratrem timoris, debiti oblitam pudet
Amoris; at resarciam admissum nefas.
Retracto motus mentis ignavæ. Manet
Fixum, ratúmque, frater, hac adhuc die
Tui latronis publico effusum foro
Bibes cruorem. - Sed quid animæ proderit
In altero orbe fusus inimici cruor?
Sum Christianus. Credo, cœlo, vel Stygi
Adjudicari mortuos. Fratris anima
Jam judicata, nescio, quo sit loco.
Spero, timeóque. Si sit in cœlo, putas
Adhuc cruorem sitiet inimici? haud puto,
Si sit sub Orco, nesciet, quidnam hac die
In Orbe Supero agatur. At forsan tamen,
Si sit sub Orco, triste solamen feret,
Si viderit Velasquium hac pariter die
Orcum subire. Pereat infamis latro,
Eat sub Orcum fratris æternus comes.
Drome!

SCENA TERTIA.

Martinius. Dromus.

Dromus. - Quid here jubes? *Mart.* Num Fratris latro

Nec-

Necdum trahitur ad pegma ferale? *Drom.*
Populus
Forum replevit omne; sed nondum reus
Eductus est è carcere. Interim gemens
Granata tota mira de Velasquio
Enarrat. *Mart.* Et quæ mira? *Drom.*
Quàm piè simul
Et fortiter paratus ad mortem fiat,
Quàm Christianè pœnitens. *Mart.* Si
pœnitens
Mortem subit Velasquius, cœlum petet.
Solus jacebit Frater in Stygis rogo,
Si fortè jaceat. Heu! quid infelix agam?
Eloquere frater, quæ tuum ad solatium
Vindicta potior? publicam, an tacitam
petis?
Drom. Ignosce, si, quod Sentio, dico:
puto
Desipere te, qui mortuum loqui jubes.
Ubicunque sit, quiescat in pace, aut pice.
Mart. Pace, aut pice? ergò credis immersam stygi
Miserrimam animam? *Drom.* Neminem
damno. DEus
Judex supremus Solus est, Sententiam
Fert solus immutabilem. *Mart.* Immutabilem!
Ah fratris anima, qualis ante Judicem
Adeò tremendum corpore expulsa subitò
Nuper stetisti? qualis olim stabo ego?

Judi-

Judicium sine misericordia, qui non fecerit misericordiam.
Ah Domine! misericordiam tuam expeto;
Sed hanc an aliter consequi haud possim, nisi
Veniâ impio sicario fratris datâ?
Conditio dura! famule, Ramirum voca,
Dic - Sed quid homines? imò cede - *Drom.* Nemine
Huc advocato? *Mart.* Cede, dixi.

SCENA QUARTA.

Martinius solus.

Quid homines
Ad ista? quid Granata? quid Socii mei?
Quid nobiles? nempe audiam fungus levis,
Nugîs Poparum territus, & orci metu,
Verbîsque Simplicissimi emotus viri.
Ignosce Christe. Veneror affixum cruci,
Et Christianus dogmata amplector tua;
Sed unicam hodie deprecor legem, unicum
De charitate excipio mandatum. Hostibus
Ignoscere vetat nobiles viros honor.
Unum hoc negare debeo invitus tibi.
Ignosce Christe. Fallor? an vultus Sacros
Avertit à me iratus hic Judex meus,
Et ore fulminante jam Sententiam

Pro-

Pronuntiat? tremiſco totis artubus.
In aure cordis intima vocem audio:
Judicium ſine miſericordia, qui non fecerit miſericordiam.
Ergóne dem Velasquio - heu! Pectus fremit
Ad ſola nomina hoſtis. At ſimul tremit
Ad fulminantis Judicis vocem. Miſer
Quò rapior? aut quid ſtatuo? prô luctam gravem!

SCENA QUINTA.

Martinius. Dromus.

Drom. Here, ſi cupis Spectare Supplicium ultimum
Velasquii, jam carcere eductus, foro
Propinquus eſſe dicitur. Quid ingemis?
An condoles fortè miſero? vel, quid tremis,
Fremíſque? num fortè ſubitum malum invaſit,
Morbúſque corpus? æſtuas. Palles, jubes
Medicum vocari? *Mart.* O frater! O Judex!
Drom. Sonum
Audio tubæ feralis. Has ædes prope
Deducitur Velasquius. *Mart.* Sonus tubæ
Feralis. At terribilior longè tuba,

Quæ me vocabit! *Drom.* Terribilis Herum tuba
Vocabit? Et quò? *Mart.* Pileum, & gladium mihi.
Drom. Quò pergis. Ad Medicum, an forum? jubes, ſequor?
Mart. Subſiſte. Nullo comite jam nobis opus,
Niſi - -

SCENA SEXTA.

Ramirus. Joannes de Deo.

Ramirus - Vides, ùt fugiat aſpectus meos
Martinius. Quàm turbidè incedit! *Joan.* Furor
Inſanus animum turbat. *Ram.* Ut fatear, nimis
Acerba nutrit odia. Vindictæ ſitis
Violenta nimiùm pectus invaſit viri.
Conſilia mitiora ſuggerere priùs
Ipſius parabam, gratiam occultæ necis
Velasquio ut concederet. Vix cœperam
Suadere, concitatus in furias novas
Et perfidum me, & generis oblitum vocans
Juſſit faceſſere, etiam amicitiæ meæ
Renuntiavit impotens hominis furor.
Joan. Ramire, video, nobilem mentem tibi,

Et

Et Christianam inesse, qui læsus licèt,
Læsúsque graviter cœde cognati, tamen
Saltem favoris aliquid hosti supplici,
Et charitatis legibus dandum petis.
Quàm nil habet de nobili Martinius!
Nec ille Christianus est, nec est homo.
Sed quis sonus feralis aures verberat?

SCENA SEPTIMA.

Ramirus. Joannes de Deo. Odoardus.

Odoard. Ergo periisti, & morte miseranda nimis,
Nimísque turpi occumbis infelix Nepos!
Ram. An jam Securi subdidit Nepos caput?
Condoleo, quamvis hostis est, misero tamen
Condoleo. *Odoard.* Non, Ramire, non mortem queror
Nepotis; ast infame moriendi genus.
Utinam securis flebilem Velasquio
Vitam abstulisset! *Ram.* Quid igitur? forsan sibi
Ipse violentas intulit miser manus
In carcere ipso, publici impatiens probri?
Joan. Prohibete Superi. *Odoard.* In carcere o utinàm neci
Cuicunque succubuisset! ast modò palàm
Tota Urbe concurrente raptatur foro,

Proſtatque ſub Lictoris infami manu
Velasquianus ſanguis. Heu! nimium probrum
Nullo expiandum tempore! Illuſtris Domus
Velasquiana perdita æternùm jacet.
Joan. Odoarde tota perdita eſt per me Domus
Velasquiana, fateor, & ſupplex caput
Devoveo pœnis omnibus! Simplex nimis,
Nimiſque fueràm credulus verbo impii
Martinii. *Odoard* Martinio ignoſcat DEus,
Si quam mereri à Numine veniam poteſt
Tam pertinax in proximum ſuum furor.

SCENA OCTAVA.

Perſonis prioribus accedit Dromus.

Drom. ad Ramirum. Non viſus Illuſtriſſimo eſt herus meus?
Inquire mecum, quæſo, & afflictum juva.
Ram. Afflictus eſt Martinius? cur? *Drom.* Neſcio.
Turbatus eſt graviſſimè, hoc ſolum ſcio.
Paulò antè ſe proripuit, & præceps domo
Exivit, ubi mirabiles geſtus priùs
Ediderat. Totus turbidus, & impos ſui
Modò ejulabat trepidus inſtar fœminæ,
Modò fremebat Tigridis ad inſtar. Modò
Fœdabat ora lacrymis, ſpumas modò
Rabido

Rabido ciebat ore. Verbo finiam:
Videtur insanire. *Joan.* Nempe vindicem
Dei manum jam sentit. *Ram.* Ast ubi modò est?
Drom. Ignoro. Quæro ubique. Sed frustra. *Odoard.* Forum,
Et pegma triste accedito, invenies herum.
Spectator, imò carnifex Martinius
Futurus, ipse Sanguine inimico manum
Fœdare gloriabitur; ita amens furit.
Drom. Fallere. Redux è publico hic adsum foro.
Non est ibi Martinius. *Joan.* Redux foro
Velasquium vidistín? *Drom.* Infausti Viri
Nudata vidi colla, curvato genu
Lictoris ensi subditum. Abscissum caput
Horror videre vetuit. Abscessi. *Odoard.* * Manum
Amice porrige. Genua labascunt. Nepos
Miserande! subduc publico me vir Dei,
Oculos, & ora civium haud ultra fero.

* *ad Joannem*

SCENA ULTIMA.

Personæ omnes.

Martin. Domine Odoarde, restituo tuum tibi
Velasquium, hujus scilicet vitam mihi
Donat Senatus, & ego jam dono DEO.
Odoard. Somnio? Vigilóne? Vivus an adstat Nepos?

Velas. Vigilas. Vides me liberum vinclis, vides
Lictoris enſi, & publicæ ereptum neci,
Infamiæque dexterâ Martinii.
Mart. Triumphus hic Joannis eſt. Per te DEus
Cor pertinacis fregit. Invitus diu,
Diu reluctans gratiæ tandem locum,
Et charitati debitæ dedi. Preces
Supplex Senatui obtuli ipſe pro reo,
Et impetravi facilis annutus pies.
Ramire non hæc approbas? *Ram.* Hæreo ſtupens.
Joan. O Filii! cui gratuler veſtrûm magìs?
Martinio, an Velasquio? vitam tibi?
Tantam tibi Victoriam? O potens DEus!
O Chriſtiana charitas! *Odoard. ad Mart.* Victor tui
Generoſe, nunc te nobilem verè virum
Agnoſco. Quid pro munere hoc reddet Domus
Velasquiana? *Velas.* Debeo totum tibi.
Mart. Nihil mihi debetis. Huic Viro Dei,
Deóque dura pendulo Crucis trabe
Debemus omnes omnia. Hic Judex meus
Olim futurus pariter ignoſcat reo
Martinio, ùt Martinius tibi hac die
Ignoſcit ô Velasqui! Age, patere, dextera
Hæc ipſa, quæ furore væſano flagrans
Te traxit ad confinia pudendæ necis,
Te

Te jam reducat liberum ad Lares tuos.
Ramire ſequere, pariter ignoſcis utique
Oblitus omnis cœdis agnatæ. *Ram.* Lubens
Hoc charitatis nobile exemplum ſequor.
Odoard Eamus omnes. Denuo Illuſtres Domos
Martinii, & Velasquii hæc junget dies.
Junctásque teneat fœdere æterno Deus.
Joan. O Chriſtiana charitas quid non potes!
Velasque. * Amice promptus dexteram amplector tuam;
Lares tamen non repeto, nam nihil ſuper
In orbe toto Larium Velasquio,
Quem ſola poſthac incolam cernet Domus
Joannis. * En me ſupplicem tibi Pater.
Admitte Socium, Filium in Chriſto tuum
Admitte. *Odoard* Quid moliris ô Nepos, novi?
Velasq. Nihil novi. Concepta dudum in carcere
Exſolvo vota, quàm mihi vitam DEus
Donavit, hanc donabo jam ſoli DEO,
Huic ſerviam uni, & ſerviam inter pauperes
Joannis. Agedum - - *Mart.* Siſte Velasqui. Mihi
Eſt aliquid in te Juris. Hanc vitam tuam
Mihi Senatus donat. *Velas.* Aſt hanc tu DEO

*ad Martinium.


*ad Joannis genua proſtratus.

Donâsse te testatus es palàm. *Mart*. Palàm
Testor etiamnum; sed tamen palàm quoque
Protestor, & proclamo; Joannes cave
Inter tuos Velasquium admittas, nisi
Admittis & Martinium. Et mihi reo,
Dudúmque graviter mortis æternæ reo
Vitam DEus donavit: igitur & DEO
Donabo totam, & pauperes inter tuos
Donabo. Posthac frater in Christo tuus
Ero Velasqui. Utrumque, vel nullum Pater
Admitte. *Velas.* Superi! *Ram.* Seriò hæc Martinius?
Mart. Subitò quidem, sed seriò! *Joan.* O potens Dei
Mirabilísque dextera! *Vel. ad Odoardum.* Nepotem tuum
Avuncule, DEO ne invide. Et Fernandulo,
Cui cedo, quidquid Juris in patrias opes
Mihi superesset, ultimum ex me dic vale,
Et à me pariter accipe æternùm vale.
Salveto Frater. * Poscimus Patris domum, (* ad Martinium.)
Moráque ruptâ poscimus. *Mart.* Fratrem sequor.
Ram. * Frater tuis in ædibus adhucdum jacet. (* ad Martinium.)

Sal-

Saltem sepulcro conde. *Joan. sinite mortuos*
Sepelire mortuos suos. Vos filii,
Quò vos DEus vocat, sequamini. *Mart.* Tibi
Ramire curæ funus agnatum fiat.
Jam Frater alius, & melior hic est mihi
Velasquius. Granata sic tota videat,
Quid Christiana charitas tandem queat.

O. A. M. D. G.



MOYSES
PRÆDO PRÆDONUM.
ARGUMENTUM.

MOyses infamis diu per Ægyptum Latro, & Dux Latronum tandem relictis clàm Sociis, & improbo vitæ genere, Eremum adiit Alexandrinæ urbi vicinam, ibidem inter devotos DEO viros in paupere Cœnobio collectos scelerum pœnitentiam acturus. Accidit, ut collectis in Choro Fratribus Prædones quidam in Sacrum hoc claustrum irreperent, prædam ibidem quærentes. Sed à Moyse, tum oportunè januam servante capti, vinclísque constricti, ac demum pro Sòciis olim suis agniti, eò permoti sunt, ut quem olim ad scelera, nunc ad pœnitentiam Ducem sequerentur. *In vitis Patrum.*

PER-

PERSONÆ.

Moyſes, *olim Prædo, nunc Eremicola.*
Selinandus, *Senior Eremicolarum.*
Zoſimus, *Eremicola ſimplex.*
Camillus, } *Prædones, olim Socii*
Corvinus, } *Moyſis.*
Theophraſtus, *nobilis Alexandrinus, Selinandi cognatus.*
Melindus, *nobilis Alexandrinus, Selinandi ex Sorore Nepos.*
Stychus, }
Dorylas, } *Famuli Theophraſti.*
Phorbas, }

Scena ponitur in Eremo prope Alexandriam.

ACTUS

Scena exhibet Eremum, & in ea paucum Cœnobium, in cujus cellula videtur Moyses deposito cucullo &c. Vestes & arma Prædonis induens.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Moyses solus.

SIt ergo. Sic jubente obedientiâ
Monachum exuo, rursúsque Prædonem induo,
Ut exuant alii Latrones, induant
Monachos. Favete ô astra, personam meam
Hodie bene ut agam. Facite, sim Prædo pius.
Ad furta, cœdes, vulnera, rapinas, dolos,
Genus omne criminum socia duxi agmina,
Liceat pariter ad pœnitendum ducere.
Et, O! Camillum cœlites à me impiè
Seductum heu! (Cor intimus penetrat dolor,
Quoties recordor) Sistite Camillum mihi! *

* inflat fistulam, signum Prædonibus consuetum.

SCENA SECUNDA.

Moyses. Zosimus.

Prodit Zosi-

Zos. Credo in Deum Patrem - Quid audio? - in DEum -

Quid

Quid video? Superi! Quæso, quid Moyses paras?
Rursumne sacrum deseris claustrum impius?
Moys. Nullósne Frater Zosime similes mihi
Armis, & habitu in nemore vidisti modò?
Zos. Vis denuo Prædonibus te adjungere?
Moys. Inquiro Socios pristinæ vitæ. *Zos.* Obsecro!
Resipisce Frater. Dæmonis gravissima
Tentatio hæc est, crede. Per Sanctum meum
Pachomium te obtestor, ad claustrum redi.
Moys. Sub Vesperam redibo, non solus tamen,
Ut spero. Mecum turba Prædonum integra
Est adfutura. Zosime his cœnam para. *

mus, ex brachio corbem, manu hydriam gestans. Manu altera volvens corollam, & orans alta voce.

** abiens Moyses iterum inflat fistulam.*

SCENA TERTIA.

Zosimus solus.

O Cœlites! O Sancte Pachomi! quid hoc!
Væ, væ omnibus nobis hodie! &, heu! (vix traho
Terrore victum Spiritum) & tanti mali
Sit ipse Moyses Author? at factum bene:
Cur improbum Latronem, & infamem diu
Ducem

Ducem Latronum improvidus utique nimiùm
Admisit Abbas ad sacrum claustrum, & quidem
Non postulato Zosimi voto. Modò
Habeat, videat, & Sentiat, quid sit meam
Prudentiam sprevisse: nam semper fui
Contrariæ Sententiæ, & nullo modo
Probavi, ut impius Latro sanctis viris,
Qualis ego sum, jungatur. Et quondam in sacro
Quonam, sat ipse nescio, legi libro:
Mutare poterit Æthiops pellem priùs,
Quàm prædo continebit à præda manus.
Et Ecce! jam, jam! fugio. Sed -

SCENA QUARTA.

Zosimus. Corvinus. Camillus.

Corv. - - - Sistas gradum.
Zosim. O sancte Pachomi! *Cam.* Quid hac in Corbula
Gestas? *Zos.* Voveo centum Pater noster, & Ave.
Corv. Sine, videamus. *Zos.* Voveo ter centum insuper
Ictus flagelli. *Camill.* Nos flagellis devoves?

Zos.

Zos. O Domine Prædo! *Cam.* Crude! prædonem vocas?
Zos. O Domine Latro! *Cam.* Quid? latronem nominas?
Corvin. Honestiore nomine appelles, decet,
Militis, & Exactoris. *Zos.* Estis milites?
Ignoscite, ego simplex Eremi incola haud scio
Distinctionem inter Latronem, & militem.
Cam. Est quæstio de nomine, hanc omittimus.
Graviora nos urgent, quid hac in corbula?
An non farinæ, aut candidi panis aliquid?
Corv. Et in hac lagena quale vinum? *Zos.* Frigidam
Vides, & herbas pauculas pro cœnula,
Quam præparare Fratribus, munus meum est.
Camill. Queîs Fratribus? plurésne tecum hæc incolunt
Deserta? *Zos.* Cur hoc quæritis? num forsitan
Et vos Eremum colere, & in claustro sacro
Tandem agere pœnitentiam vultis? *Corv.* Fames,
Sitísque si nos adigat, extrema omnia
Debebimus tentare. *Cam.* Multorum fuit
Vocatio mirabilis. *Corv.* An aptos minùs,
Vestróque nos consortio indignos putas?

Zos.

Zos. Quondam in sacro, & pio admodum legi libro :
Languebat olim Dæmon, & tunc ocyùs
Volebat esse Monachus *Cam.* Et quid postea ?
Zos. At sanitate reddita, qualis fuit,
Permansit etiam postea, dæmon malus.
Sed dicite mihi candidè : estis milites ?
Cam. Non cernis arma ? acinaces ? tela, gladios,
Clavásque dignas Herculis fortì manu ?
Zos. Jam porrò dicite, an nihil vos hactenus
Audieritis de Moyse prædonum Duce ?
Corv. Audivimus sat multa de tanto viro,
Sed tristia & funesta nimiùm pleraque.
Zos. Scitísne quò devenerit, vel ubi hæreat.
Camill. De Moyse varii varia. *Corv.* Communis tamen
Hunc fama vivum à Dæmone abreptum asserit.
Zos. Necdum quidem; Sed spero rapiendum brevì.
Cam. Sic imprecaris proxìmo ? *Zos.* Ex zelo pio
Oro quotidie, ut dæmon omnes impios
Auferat, ut hi pervertere haud possint bonos.
Corv. Hoc de viro num quidpiam certum tbi ?

Ad-

Adhúcne Moyſes vivus eſt? *Zoſ.* Eſt prô dolor!
Corv. Ubi latere dicitur? *Zoſ.* Quia milites
Vos eſſe video, dico; nam prædonibus
Non dicerem: hoc in nemore Moyſes, impius
Prædo vagatur, atque noſtris Fratribus
Extrema minitatur hodie. Hinc vos obſecro,
Sanctúmque per Pachomium obteſtor, citi
Inquirite, capite, rapite latronem improbum,
Captúmque proxima in arbore hac ſuſpendite.
Si fune careas, cingulum hoc meum tene,
Promptus tibi cedo hoc in uſus tam pios. *

* *cingulum ſuum diſſolvit, & Corvino tradit.*

SCENA QUINTA.

Corvinus. Camillus.

Corv. Jo! beamur! denuo noſtro Duci
Jungemur hodie. Inquirimus ruptâ morâ.
Cam. Huic credis homini? Stultus eſt. An non vides?
Corv Eſt ſtultus equidem, ſed tamen dicta illius
Conſentiunt omnino dictis zyngari,
Quem pridie conſuluimus; hic enim ſenex
Nos arte mira denuo Moyſi Duci

Socios futuros dixit, & quidem brevì.
Cam. Authoritas graviſſima utique, zyngarus,
Et ſtultus. *Corv* Ego ſpem concipio firmiſſimam.
Camill. Ego penitus deſpero. Quin niſi mea
Memoria fallit, video fatalem locum,
Nemúſque triſte, quo Parentis è ſinu
Abreptus à prædonibus adhucdum puer,
Coactus ad tam infame ſum vitæ genus.
Corv. Quid? raptus à prædonibus adhucdum puer?
Non liberè ſecutus es Moyſen Ducem,
Sociósque Moyſis? *Cam.* Genitus illuſtri Domo,
Parentibus ditiſſimis, ſponte improbum,
Miſerrimúmque elegerim vitæ genus?
Dixi, Parentis optimæ abreptus ſinu,
Hæc ipſa dum per nemora malè cautus puer
Vagabar, à comitibus avulſus procul,
Viáque perditâ incidi in Moyſis manus,
Et præda primùm, prædo mox ipſus fui.
Corv. Narras mihi miriſſima. *Cam.* Et vivo quidem,
Mihíque blandiente prædonum Duce,
Domûs Paternæ, & ſtirpis oblitus brevì
Vixi ſatis beatus; at nunc perdito,
Et, neſcio quò, denique abrepto Duce
Quot miſeriis opprimor? In fame, & ſiti
In

In nuditate, & frigore, & grandi metu
Captivitatis, atque funestæ necis.
Corv Si nobiles, & divites, ùt asseris,
Tibi sint Parentes, igitur ad tuos redi.
Cam. Prædo, latróque publicus? me-
met rotæ,
Gladióque stultus offeram? jacta alea.
Vixi latro, vivámque, dum lictor finit.
Corv. Ego comes fidissimus semper se-
quar,.
Ad usque furcam, ad usque gladios, &
rotas.
Cam. * Attende! *Corv* Cui. *Cam.* Nil
audis? *Corv.* Et quid audiam?
Cam. Omnino Sonitus fistulæ est, qua
pro tuba
Dux noster uti sueverat, dum milites
Suos vocare voluit ad prædas novas.
Corv. O si - - *Cam.* Sileto! - jam am-
plius nil audio.
Corv. Collem occupamus proximum,
inde clariùs
Fors audiemus, forsan & videbimus
Optata dudum. *Cam.* Spero vix, sequor
tamen.

* *Iterum inflatur intra scenam Moysis fistula.*



ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Selinandus. Zosimus.

Selinandus manu gestat litteras.

SElin. De Moyse questus mitte. Quod fecit, bene
Ex mente nostra fecit. *Zos.* Ex mente hoc tua?
Claustrum sacrum deserere, se prædonibus
Adjungere? hoc si Zosimus faceret, DEus
Bone! quantus in me Abbatis arderet furor?
At quidquid iste perfidus Moyses facit,
Tibi probatur. Obsecro, aliquando sape.
Selin. Obsecro, aliquando Zosime Abbati tuo
Discas loqui modestiùs, &, ùt jusseram
Festinus aliquam cœnulam hospitibus pares
Ad nos recèns ex urbe delatis. Cibi
Fac, condiantur optimè. *Zos.* Quales cibi?
Lactuca, lentes, raphanus, insuper nihil
Est in culina. *Selin.* Pauperem penum excute,

Si

Si quid supererit. *Zos.* Ne quidem granum salis.
Tamen hospites, & nobiles ad cœnulam
Tam frigidam invitare non horres? *Selin.* Sciunt
Nos pauperes, Monachósque, nec nostram domum
Subiêre, ut epularentur. Alia sunt iis
Negotia graviora. *Zos.* Quæ? *Selin.* Hoc ad te nihil.
Fac imperata.

SCENA SECUNDA.

Selinandus solus.

Infausta prô nimiùm Soror!
Quid litteris tot postulas à me scire,
Quod ipsus ignorare me vellem? est quidem
Gratus mihi Nepotis adventus; Sed heu!
Idem dolores auget. Aspectu unius
Infausta fata alterius apprêndo magìs.
Melindus, & -

SCENA TERTIA.

Selinandus. Melindus. Dromus.

Melind. ad Dromum. Jam sequere. *Selin.* Quò Nepos? *Melind.* Juvat

Viciniam lustrare. *Selin.* Non nisi horrida
Deserta cernes. Potius ab itinere recens
Quiete fruere. *Mel.* Quiescere domi sat
queo;
Profectus huc sum, ut libera aura perfruar,
Videámque nondum visa, quæ Matri redux
Narrabo. *Sel.* Fili, tutus hic non est
locus.
Ursi, lupíque sæpe percurrunt nemus.
Mel. Ego feras non timeo. Tela plurima
In hac pharêtra sunt mihi. Nuper duos
Lepusculos audace confixi manu.
Nunquid ita Drome est? *Drom.* Ita est.
Sel. Probo heroam indolem.
Mel. Eamus igitur Drome. *Sel.* Si quidem placet,
Deambula tantisper, at non hinc procul,
Moneo, rogôque. Drome Melindo cave.
Drom. Ero comes fidissimus, nec hinc
procul
Melindum abire patiar, etenim, ùt audii
Brevì parata cœna erit. Nunquam solet
Dromus venire serus ad mensam. *Selin.*
DEus
Tibi sit comes Melinde.

SCENA

SCENA QUARTA.

Melindus. Dromus.

Melind. - - Sollicitus nimis
Pro me videtur avunculus. *Drom.* Quia te amat.
Nam semper est sollicitus, ùt dicunt, amor.
Mel. Num diligat me, dubito: nam Parens mea
Conquesta sæpe est, litteras nullas sibi
Plures per annos à sene hoc missas, licèt
Plures ad ipsum dederit. Ex quo tempore
Subiit eremum Frater (ita dicit Parens)
Sororis, & totius agnatæ Domûs,
Stirpísque penitus immemor, & inter feras
Ferus ipse totum spernit humanum genus.
Drom. Mihi non ferus videtur, at blandus senex.
Tenerrimè complexus est vix cognitum
Nepotulum, cunctósque nos comites tuos,
Tanquam hospites gratissimos jussit bene
A coquo haberi. *Mel.* Fateor, excepit modo,
Quo filium charissimum solet Pater

 Exci-

Excipere. Plaudet Mater, ista si audiet,
Námque dubitabat, num sen. so itudinis
Amanti, & omne sæculi commerc um
Dudum peroso Nobiles, grati hospites
Essent futuri. *Drom.* Fortè non omnes forent
Gratissimi, sed aliud est de te, quia es
Nepotulus, sorore genitus. Scilicet
Etiam Sacri viri Nepotismum, ùt vocant,
Raròexuunt omninc, vel saltem citò
Iterum induunt. Sic dicitur: Sanguis nequit
Negare totum sanguinem agnatum sibi,
Mox, néscio quid, intimo se in pectore
Solet movere. *Mel* Fateor, aspectu senis
Avunculi subsiliit & pectus meum,
Patrémque dudum mortuum jam denuo
Vivum videre mihi videbar in sene
Avunculò. *Drom.* Ergo nunquid in eremo hac lubens
Statim maneres cum hoc avunculo tuo?
Mel. Ego nobilis in eremo? *Drom.* Avunculus tuus
Nunquid etiam nobilis erat, & ultro tamen
Eremum adivit? *Mel.* Nempe jam factus senex,
Credo, quietem ambivit in solitudine.
Deindè, quæso, quid Parens mea diceret,
Si non redirem? crastinum ægrè, sat scio,
Exspectat, ut me denuo videat. *Drom.* Bene
Atque

Atque sapienter ista. - Sed fuge! heu fuge!
Melinde! curre! curre! *

* *Erumpunt è nemore Camillus, & Corvinus, fugit Dromus.*

SCENA QUINTA.

Melindus. Camillus. Corvinus.

Cam. Corvine huic viam
Præclude. Puer hic præda mea. *Melind.* Non sum puer,
Sum filius Prætoris. *Cam.* Et si Cæsaris
Sis filius, jam meus es, & quidquid tuum est,
Vestis superba, & si quid argenti latet
In vestibus, vel facculis, totum meum est.
Mel. Quo Jure? *Camill.* Jure publico prædonum. *Mel.* Hëu
Ergo in latrones incidi! Mater juva!
Camill Matrem invocas? ánne in propinquo est? *Mel.* Proxima
In urbe. *Cam.* In urbe proxima? Ergo patria
Tibi est Alexandria? *Mel.* Filius sum ego
Emortui Prætoris, atque nobilis,
Dicas vereri sanguinem, & stirpem, rogo.
Cam. Emortui Prætoris es tu filius?
Et quod Patri nomen erat. *Mel.* Eustorgus. Stupes?
Tibíne notus fuerat hic Parens meus?

Corvinus persequitur fugientem Dromum. Melindum invadit Camillus, & incipit spoliare.

Cam. Euſtorgus ergo mortuus? quando? *Mel.* Tribus
Annis abhinc. ſed vivit etiamnum Parens
Melania, huîc ne filium ſuum eripe,
Et unicum! *Cam.* Melania! - & nomen tibi
Quale eſt? *Mel.* Melindus. Ingemis? *Cam* Fratres tibi
Pluréſne? *Mel.* Fuerat unicus, vixdum mihi
Cognitus. *Cam.* Adhúcne vivit? *Melind.* Hoc ego neſcio:
Nam ſæpe flens narravit infelix Parens,
Hunc filium petiiſſe vicinum nemus
Venationis gratiâ, nec poſtea
Rediiſſe. quò devenerit, nulla hactenus
Arte inveniri potuit. Hinc tandem dolor
De filio deperdito vitam Patri
Eripuit. *Camill.* Et quid Mater? *Melind.* Æterno quoque
Oppreſſa luctu filium deflet diu,
Noctúque. Noli augere luctum fœminæ.
Matríque jam ſat miſeræ, & innocuo mihi
Jam parce! *Cam.* Sed quid ſuſpicatur tua Parens,
Factum eſſe Nato? *Mel.* Ab obvia forſan fera
In nemore laceratum. Vel (atque hoc maximè
Premit Parentis pectus) à ſociis malis,
Et neſcio cujus arte ſeductum malè

Vitam

Vitam sceleribus vivere infamem. Hinc diu,
Noctúque sæpe mæsto sic ore ingemit:
Camille! mi Camille! quo tandem loco es!
Forsan jam in orco, aut proximus saltem stygi.
Prohibete Superi hoc unicum, ne Filius
Meus Camillus pereat æternùm! meus,
Prohibete, sanguis in styge ne æternùm ardeat!
Rursum ingemiscis? forsitan Melaniam
Nosti? * per hujus lacrymas obtestor, ut,
Cùm filium unum perdidit, saltem alterum,
Et unicum superstitem videat sibi.
Cam. Melinde surge! liber ad matrem redi,
Et nuntia, vidisse te Fratrem impium,
Miserúmque. *Mel.* Tu Camillus? & frater meus?
Cam. Indignus hoc sum nomine infamis latro,
Probrúmque tantæ stirpis. *Mel.* Ah mecum citò
Redi ad Parentem. Gaudium quantum obruet
Materna corda, filium si viderit
Sibi redditum? *Cam.* Utique gaudium magnum obruet
Materna corda, filium si viderit
Socium latronum, publicæ affixum cruci!

* *Melindus procidit ad genua Camilli.*

Hæc

Hæc namque reducem in Patriam merces
manet,
Carcer, patibulum, enſis, & triſtis rota.
Mel. Camille! Mater, credito, dolebit
minùs,
Si ſub pudenda ſtare lictoris manu
Sed pœnitentem viderit, quàm ſi audiet
Natum ſceleſtum ſceleribus velle immori,
Séque genuiſſe filium addictum ſtygi.

SCENA SEXTA.

Camillus. Melindus. Corvinus.

Corvin. Camille, plaude! Zyngarus vi-
cit meus.
Moyſes repertus eſt. *Cam.* Ubi? *Corv.*
Veni. Vide.
Cam. Sequor! Melinde Frater æternùm
vale!
Mel. Ah vertere retro Frater, & ad
avunculum
Saltem - Miſer! Matríne nuntium hoc
tandem feram?



ACTUS

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Selinandus. Theophrastus.

SElin. Agnate, facit injuriam fratri soror,
Errátque, si me credat oblitum sui,
Tibíque testor candidè: nullus dies,
Ex quo hanc eremum inhabito, transit, quin pias
Pro stirpe nostra, & Patria fundam preces.
Et his, precor, contenta sit Melania,
Nec litterarum postulet commercium
Inane ab homine mortuo: nam mortuus
Sit mundo eremi cultor. *Theoph.* Afflictis tamen
Solatium si ferre quis possit, jubet
Lex charitatis surgere etiam mortuos
Tales. Nec exigit soror commercium
Inane. Num quas litteras per nos tibi
Submisit, es dignatus inspicere? *Selin.* Manum
Sororis an dedigner? Equidem fœmina est.
Theoph. Legistín igitur? Nunquid est justus dolor,
Piúsque? *Sel.* Fateor; justus, & pius est dolor.

Spe-

Sed quæ mala? Egóne dudum perditum
Mæſtæ Parenti reddere Camillum queo?
Theoph. Forſan docere poteris, in quo ſit ſtatu
Camillus, & quid denique Parens debeat
Timere, vel ſperare de nato ſuò.
Selin. Ego unde nôrim, quo ſit in ſtatu, aut loco
Camillus? *Theoph.* Ad tot fervidas Fratrum preces,
Tuáſque pro Nepote profuſas Polus
Nihil tibi detexit? *Sel* Haud ſanctus adeò
Agnate ſum, ut miracula exſpectem à Polo.
Caſum Nepotis utique jam luxi diu,
Pro juvene multas obtuli cœlo preces.
Idem Parens ut faciat, & conſtans DEO
Confidat, hortor. Interim clemens Polus
Saltem alterum reliquit illi filium.
Habet Melindum patriæ hæredem Domûs.
Videtur adoleſcentulus magnæ Spei.
Theoph. Hic unicum utique gaudium eſt Matris.

SCENA SECUNDA.

Selinandus. Theophraſtus. Dromus.

Drom. - - - - DEO
Sit Laus! latronum denique evaſi manus,
Ut

Ut ſpero. Præ terrore vix traho Spiritum.

Theoph. Unde adeò anhelus Drome? *Sel.* Cur ſolus? & ubi
Melindus? *Drom.* An non jam hîc adeſt? monui tamen,
Ut curreret, fugerétque quàm citiſſimè.
Theoph. Cur fugeret, & quem? *Drom.* Nempe prædones duo
In nemore medio - - (terror haud ſinit loqui)
In nemore medio nos, Melindum ſcilicet,
Et me pariter invadere, atque occidere
Voluêre. Niſi tam providè, atque ſtrenuè
Auſus fuiſſem currere, jacerem modò
Flebile cadaver. *Sel.* Aſt ubi jam Herus tuus
Melindus? *Drom* Equidem neſcio. *Theoph.* - - - Quid perfide!
Ergo in latronum manibus - O Cœlum!
Drom. Dixi; utique monui in tempore Melindum, citus
Ut curreret, fugerétque, quin & ſtrenuè
Ut fugeret, incitaveram exemplo meo.
Theoph. * Peri nefanda bellua! *Sel.* Cohibe manum.
Tu ** *ad Dromum.* Cede, quæſo, nonnihil. *Theoph.* Styche! Doryla!
Phorbas!

* *Irruit enſe in Dromum Theophraſtus, quem cohibet Selinandus.* ** *Dromus trepidus aufugit.*

SCE-

SCENA TERTIA.

Selinandus. Theophrastus. Stychus. Dorylas. Phoibas.

Theoph. Citi arma capite, quæcunque manibus
Sors objicit. *Stych.* Cur arma? *Theoph.* Latrones citi
Persequimur. *Doryl.* Ad nos quid latrones? non sumus
Satellites. *Theoph.* Quid? vestrum herum servi impii
Non liberare vultis? à latronibus
Captus Melindus est. *Phorb.* Hëu! quid audio!
Stych. Jam nemo nostrûm audebit ad Dominam suam
Sine filio redire! *Doryl.* Nunc animis opus,
Armísque socii. *Theoph.* Quærite igitur obvios
Quoscunque gladios, tela, fustes, & mihi
Mea arma ferte. * Hêu! timeo, ne seram jam opem
Feramus. O me perditum! nisi suum
Matri reducam filium. *Sel.* Infausta mulier!
Fratrem sororis miseræ! heu - *Theoph.* Infelix iter! In

* *Intrant Servi.*

In hanc eremum quale nos fatum improbum
Adduxit! utinam - *Sel.* Indoleo, ſed cui debeam
Plùs indolere, dubito, Matri, an filio.

SCENA QUARTA.

Selinandus. Theophraſtus. Melindus. Dromus.

Drom. Jo! Jo! Victoria! Melindus redit.
Nempe eſt ſecutus impigrè exemplum meum,
Et ſtrenuè cucurrit. *Theoph.* O jam millies
Melinde Salve. *Sel.* Gratiæ æternæ DEO.
Salvum Nepotem reddit.

SCENA QUINTA.

Perſonis prioribus accedunt Phorbas. Stychus. Dorylas.

Phorb. - - Armati adſumus.
Theoph. Cedite. Melindum cernitis ſalvum. *Stych.* Tibi
Nobisque gratulamur. *Doryl.* Heroes ſumus,
Victoriam retulimus absque prælio.
Phorb. Curamus ergo feſſa pugnis corpora.

SCENA SEXTA.

Selinandus. Theophrastus. Melindus.

Sel. Fili! quid ingemiſcis? aut cur lacrymæ
Per ora currunt? *Theoph.* Nempe Prædonum metus
Has lacrymas exciverit. *Mel.* Nullus metus
Inhæret animo. Cauſa alia fletum exprimit.
Vidi Camillum, avuncule. Camillo modò
Locutus hoc in nemore ſum. *Sel.* Fratri tuo?
Mel. Se ſe ipſe tandem prodidit. *Theoph.* Vivit igitur
Adhuc Camillus? *Mel.* Vivit, heu dolor! *Theoph.* Quid hoc?
Tui hæc doloris cauſa, frater perditus,
Tandem repertus? obſecro, huc ad nos citò,
Vel nos ad illum ducito. O quantum feret
Mæſtæ Parenti gaudium iſtè nuntius,
Modò verus. *Mel.* Utinam falſus! *Theoph.* Ergo perditum
Fratrem repertum frater invidus dolet?
Mel. Fratrem repertum, perditum æternùm dolet.

Et

Et ampliùs dolebit infelix parens,
Ubi filium suum audiverit factum (heu pudor!)
Socium latronum. *Theoph.* Quid? Camillum tu asseris
Socium latronum? *Mel.* Imò ipsius infamis latro est.
Invaserat me in nemore non notum sibi
Ignotus ipse pariter & mihi: manus
Vinclis ligare cœperat, cùm nomine
Emortui Parentis, & Melaniæ,
(Nam de Parentum nomine ex me quæsiit)
Melaniæ, inquam, nomine audito stupens
Hæsit diu, tum denique profundùm gemens,
Melinde, dixit, liber ad Matrem redi,
Et nuncia, vidisse te Fratrem impium,
Miserúmque. *Theoph.* Selinande quod fulmen novum!
Melinde næ isthæc nuncies Matri, cave.
Præstat Camillum mortuum credat. minùs
Mater dolebit, quàm latronem si audiat.
Selin. Sed deserenda neutiquam in tali statu
Nepotis anima. Dic Melinde, quo loco
Modò frater hæret? *Mel.* Nescio. Ut mecum redux
Charissimæ semet Parenti sisteret,
Monere frustra cœperam. Maluit sequi
Socios latrones. *Selin.* Vota faciamus Polo.

 Surgit

Surgit mihi fiducia. Nepotis animam
Commendo Fratrum precibus. *Theoph.* Ego totum nemus
Percurro, quærens - *Sel.* Siste, dum pandam priùs
Consilia quædam cœpta. *Theoph.* Pro quo? *Selin.* Pro bono,
Solatióque, ùt spero, nostrorum omnium.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Moyses. Corvinus. Camillus.

MOYS. Confidite Socii, repeto; si me Ducem
Porrò audeatis impigrè, & promptè sequi,
Optanda dudum præda nos manet hodie.
Corv. Sequemur utique. *Cam.* Neutiquam sponte hactenus
Tua signa deseruimus, & deperditum,
Ac, nescio quò, denique abreptum Ducem
Omnes per oras seduli indagavimus.
Corv. Ego per omnes carceres, cautus tamen,
Inquisii, nec transii patibulum,
Aut pendulum cadaver immemor tui,

Omnés-

Omnésque semper sedulò inspexi rotas,
Furcásque passim publicâ erectas viâ.
Reperire Moysen nullibi, (heu dolor)
fuit.
Cam. Erravimus nos interim, ùt solent
oves
Pastore fido perdito, & fame, & siti
Vix non necati. Denique omnis grex
tuus
Dispersus est. *Moys.* Confidite, ùt dixi,
famem
Sitímque mox levabitis. Cœnobium,
Quod proximum videtis, an nunquam
hactenus
Subiistis? *Camill.* A Cœnobiis semper
procul
Deflexímus. *Corv.* Vitamus, ùt dœmon
crucem.
Moys. Hodie tamen, si sapitis, hoc Cœ-
nobium
Intrabitis, mecúmque non solita dape
Reficere vires poteritis. *Cam.* In hoc
paupere
Cœnobio reficere vires? *Corv.* Vidimus
Paulò ante Fratrem, se esse dicebat cocum
Jussum parare Fratribus cœnam; tamen
In corbe toto præter herbas pauculas,
Et frigidam portabat ad claustrum nihil.
Moys. Est ille simplex Frater. Haud scit
omnia.
Mihi credite, his in cellulis nectar latet,

Quo nemo veſtrûm melius, atque ſuavius
Guſtavit unquam. *Camill.* Siccine? *Moyſ.* Expertus loquor.
Hauſi ipſe de iſto nectare haud tantùm ſemel.
Corv. Aliquando jam fuiſti in hoc clauſtro? *Moyſ.* Fui.
Camill. An vi, vel arte clauſtra penetrâſti, intimas
Rimatus etiam cellulas? *Moyſ.* Vi fuit opus,
Et arte ſimul. Utramque ſi vos hac die
Audetis applicare, vina ſpondeo,
Cibósque, queis voluptuoſius nihil
Vel menſa Cræſi offerre convivis poteſt.
Corv. Audemus omnia, ut famem, & ſitim diu
Intima prementem viſcera abigamus procul.
Moyſ. Sequamini ergò ſtrenuè Moyſen Ducem.
Hæretis? ***Cam.*** Exſpectanda, credo, nox erit.
Tunc tutiùs tentatur in clauſtrum impetus.
Corv. Quid? more furum nocte? Prædones ſumus,
Non inferamus gloriæ noſtræ ultimum
Hoc dedecus. Hoſtem invadimus plena die.
Cam. Si congregata turba Sociorum foret?

Nunc

Nunc tres ſumus, non utique pares pluribus,
Et tam robuſtis Fratribus, qui hoc occupant
Cœnobium. *Corv.* Exſpectare noctem præ fame,
Sitique nequeo. Strenuè præſtat mori,
Quàm contabeſcere miſerè. *Moyſ.* Strategemate
Utemur, ùt docebo: poſt brevem moram
Ad publicas pro more fundendas preces
Campana Fratres colliget in unum locum,
Chorum ſolent vocare. Solus janitor
Servabit ædes, hunc ego vi, vel dolo
Præoccupabo, tum fores vobis quoque
Pandam recluſas. *Corv.* Cœlitus data hæc tibi
Conſilia credo. *Moyſ.* Nunc in utroque latere
Sylvæ latentes ſtate. Dum campanulam
Audieritis, procedite, & ſenſim tamen,
Adrepite foribus, ac ubi videbitis
Illas patere, intrate. *Corv.* Pro nutu omnia.

SCENA SECUNDA.

Moyſes ſolus.

Favete porrò ſydera! implêſtis mea
Ex parte jam jam vota. Junxiſtis meum

Mihi Camillum denuo, quamvis adhuc,
Quæ culpa nostra est, improbum. Porrò date,
Et pœnitentem jungat hodiernus dies.
Cœlum approbet, quem struximus dolum pium.

SCENA TERTIA.

Moyses. Zosimus.

Zos. Ut Dæmon omnes hospites! quantos mihi
Pariunt labores! omne surripiunt sacræ
Orationi tempus, & nondum tamen
Mundatus iste raphanus. At quis hîc? Hëu!
Moys. Promissa Zosime impleo. Sub Vesperam
Ecce redeo, sequentur, ùt dixi, brevì
Socii latrones. An parâsti cœnulam?
Zos. Sociis tuis latronibus? Sunt hospites
Præstantiores jam mihi. Deinde ubi
Sunt milites, queis jusseram, ut te proxima
Suspenderent ex arbore, & meum dedi
Pios ad usus cingulum? *Moys.* Quos milites
Tu? *Zos.* Qui omne perlustrant nemus, dum te, & tuos
In

In vincla rapiant, atque ſuſpendant cruci.
Venite tantùm; ſi audeatis, tu, & tui
Socii latrones. Milites, atque Nobiles,
Cœnobii noſtri hoſpites vos ſtrenuè,
Mihi credite, excipient.

SCENA QUARTA.

Selinandus. Moyſes. Zoſimus.

Selin. - - - Ades in tempore
O chare Moyſes! *Zoſ.* Chare Moyſes! O DEUM
Bonum! Quid Abbas quæſo? nónne ipſus vides
Factum latronem denuo? & tamen - *Sel.* Sile.
Tuam culinam repete.

SCENA QUINTA.

Selinandus. Moyſes.

Selin. - - - Dic Moyſes modò
Anne reperiſti in nemore de ſociis tuis
Quosdam? *Moyſ.* DEO favente reperi, ſed duos
Duntaxat, aſt hos inter eſt, quem maximè,
Et unicè inquiſiveram, Nepos tuus
Camillus. *Selin.* Ubi moratur? an non illico

Secutus est te cognitum Ducem suum?
Moys. Brevì sequetur, si quidem non improbes,
Quem meditor, atque ex parte jam struxi, dolum.
Rem pando. *Sel.* Cupidus audiam. Mecum veni.
Moys. Sed Zosimus me terruit; Qui milites,
Vel hospites cœnobium nostrum occupant?
Nam pro Camillo timeo, si - *Sel.* Nihil tibi
Timendum ab his hospitibus, aut militibus est.
Quin nuntium gratissimum his ipsis feres.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Camillus. Corvinus.

CAmill. Corvine! num campana jam sonitum dedit?
Corv. Attendo, & aures arrigo, plùs quàm lepus,
Ut audiam, quod opto, Fratres ad Chorum

Tan-

Tandem evocari, ut aditus ad claustrum mihi
Patescat. *Cam.* Idem est unicè in votis mihi.
Corv. Quis quæso credidisset unquam, nos duos
Ad claustra tot suspiriis, tanto impetu
Animi ferendos? *Cam.* Fateor, est mirabilis
Vocatio. Debemus hanc Moysi Duci.
Corv. Adesset utinam; sed citò. Venter meus
Exspectat ægrè, & aridæ fauces sitim
Non sustinent diutiùs. *Cam* Patientia
Corvine. Patientia rosas colligit. *Corv.* Ego
Nullas rosas, florésve, sed fructus peto. *
Camill. Attende! nunc, ni fallor, aliquid audio.
Corv. Audio & ego. Signum beatum est, ad preces
Fratres vocantur, nos ad epulas. *Cam.* Jam brevì
Claustrum patebit. Interim, ùt moniti sumus,
Adrepimus jam foribus. *Corv.* O bonæ fores!
En! Candidati fervidi vos gestiunt
Subire. Carnem strenuè macerabimus.
Morsu unico deglutiam integrum bovem,
Præ-

* *Sonat campana.*

Prægrande dolium exhauriam tractu unico.

Camill. Ego dubius tantùm hæreo, num ad cellam priùs

Vinariam, vel ad culinam pergere -

Corv. Sileto. Ni fallor, moventur limina.

Cam. Moventur omnino. *Corv.* Igitur intrato prior,

Et tacitus, atque cautus explora omnia.

Tum ſubſequar quocunque mihi ſigno dato.

Et interim hic ſtans fervidas fundam preces,

Ut proſperè ſuccedat incœptum pium.

SCENA SECUNDA.

Corvinus ſolus.

Sumus latrones pauperes. Pium eſt opus
Paſcere famelicos, dare ſitientibus
Potum. Pium hoc opus liceat hodie mihi
Clementer exercere. Cupio hoc unicè
Potare, paſcere pauperem. Cœlum fave!

SCENA

SCENA TERTIA.

Camillus. Corvinus.

Camill. * Corvine! citò, Corvine! citò Moyses! *Corv.* Næ ita
Clames stupor. Jam venio. prægrande dolium
Repererit, hoc portare cùm solus nequit,
Opem invocat. Jam venio, jam adsum. * Quid rei hoc?
Camille! Moyses! Inferi! Moyses juva!

* *Intrat scenam.*

* *Januam intrantem Corvinum obruit, & funem illi injicit.*

SCENA QUARTA.

Zosimus.

Silentium! Silentium! in sacra domo
Quis hic tumultus? & quidem Fratrum Choro
Sacras preces fundente? Sic fit, si hospites
Tot exteri admittantur ad claustrum: perit
Mox tota Disciplina, vel saltem grave
Dispendium pati solet silentium.

Eremicola rectus faciem cucullo. Mox iterum clauditur janua.

SCENA QUINTA.

Zosimus. Moyses in habitu Eremicolæ, sed adhuc cucullo faciem tectus.

Zos. Tu janitor compescere insolentiam
Hanc negligis? vel ipse fueras forsitan
Tanti tumultûs author? & - *Moyses.* Silentium
Zosime, silentium in sacra domo, & Choro
Fratrum preces fundente. *Zos.* Quid video? impius
Hic prædo rursum adest? & in habitu sacro?
Quid, obsecro, moliris hac tandem die?
An Monachus es, vel prædo? *Moys.* Utrumque Zosime
Sum jussus agere, & ex obedientia.
Zos. Utrumque? combinatio mirabilis,
Prædo, simulque Monachus! hæc captum meum
Superant, licèt aliàs satis sim perspicax.
Deinde, si vis esse Monachus denuo,
Cur non modò cum Fratribus reliquis Chorum
Accedis? *Moys.* Et cur Zosimus non in Choro est?
Zos. Legitimè impeditus ego laboribus

*Re-moto cucullo faciem detegit.

Meæ

Meæ culinæ. *Moyſ.* Etiam ego Januæ meæ.
Zoſ. Tu Janitor? *Moyſ.* Sic juſſit Abbas, hoc die
Ut Janitoris munus implerem. Vides,
Quas ipſus Abbas tradidit claves mihi?
Zoſ. Non capio noſtri Abbatis hac luce regimen.
Claves latroni tradere! *Zoſ.* Has tibi modò
Concredo. Serva januam interim vigil,
Donec redeam ab Abbate, quem quæro, nova
Juſſa ejus auditurus. Accipe. *Zoſ.* Quid? Ego
Servare claves Januæ? an nondum, ſatis
Putas, culina me occupat? *Moyſ.* Saltem cave,
Næ fortè captivæ intus avolent aves.
Zoſ. Quales aves? *Moyſ.* Videbis. Intra hæc limina.

SCENA SEXTA.

Zoſimus. Camillus, & Corvinus columnæ alligati.

Corv. Maledicte Frater Beſtia! *Cam.* Ah Moyſes ubi es!
Corv. O Inferi diſcerpite infandum pecus!

Cam.

Cam. O Cœlites miseremini ! *Zos.* Quid hìc novi ?
Cam. Ah plurimum Reverende Frater Zosime ,
Quàm te videre gaudeo. Scis, milites
Nos esse. *Zos.* Sic dixistis in sylva priùs.
Sed hìc quid agitis ? quæritis ? vultis ? *Cam.* Sonum
Audivimus campanulæ vestræ , ad Chorum
Fratres vocantis. *Zos.* Credo: Quid dein ? *Cam.* Sacrum
Speravimus legendum, huic ducti pia
Devotione, & more consueto probis
Statuimus interesse, sed vix limina
Claustri subire cœpimus, cum, nescio
Quis, credo, crudus Janitor vester fuit,
In nos molossi ad instar irruit furens,
Frustráque deprecantibus vincla injicit,
Et his columnis alligat. *Zos.* Quare ? an nihil
Locutus est ? *Corv.* Nec verbulum ore protulit,
Quin nec videndam præbuit faciem suam ,
Totum cucullo perfidus texit caput.
Zos. Suspecta res est. Janitor noster sine
Abbatis imperio facere nihil solet.
Ni fortè Moyses - *Cam.* Nempe nos Frater bonus
Forsan latrones credidit. Tu Zosime
Scis

Scis milites nos esse. Deme vincula,
Et innocentes solve. *Zos.* Non totos tamen
Vos innocentes credo. Cœlum vincula
Injecit, & justissimam in pœnam: quia
Corv. Quia sacro interesse voluimus? *Zos.* Quia
Mea jussa neglexistis. An non jusseram,
Imò & rogâram, ut omne lustrantes nemus
Moysen latronem capere, captúmque arbore
E proxima suspendere studeatis? En!
Neglecta monita Zosimi, & spretas preces
Sancti viri jam vindicat justus DEus.
Camill. Culpam fatemur supplices, solvas modò.
Percurrimus mox impigrè totum nemus,
Moysénque cupidi quærimus. *Corv.* Sed fac citò.
Aliàs latronum Ductor hic nostras manus
Evadet. *Zos.* * Estis fortiter juncti invicem.
Planè, ùt videtur, útque jam dixi priùs,
His vinculis vos strinxit in pœnam DEus.
Camill. Agnovimus culpam, ergo pœnarum satis
Jam dedimus. Iterum solve nexos. *Zos.* Quod DEus
Conjunxit, homo non separet. *Corv.* Non nos DEus

* *Circumstans attente considerat* [illegible]*tos.*

Conjunxit hodie, sed aliquis dæmon malus.
Zos. Idem ergo vos & solvat. Ego cum dæmone
Nolim negotii aliquid. *Camill.* Ah Charissime,
Et plurimùm Reverende Frater! *Zos.* Plurimùm
Reverende Frater. Titulus hic nimius. Parùm
Reverende Frater, dicite, hoc pro me satis.
Corv. Ah Domine gratiosissime! Colendissime
Patrone! *Zos.* Si Patronum vobis quæritis,
Sancto meo Pachomio este supplices,
Huic vota grandi facite cum fiducia.
Cam. Quæ vota? *Zos.* Paupertatis. Hoc primum. *Corv.* Sumus
Vel absque voto jam diu pauperrimi.
Zos. Votum alterum sit Castitatis. Tertium
Perfectæ Obedientiæ. *Corv.* Cui? tibi
Obediamus? *Zos.* Si Superior eligar,
Etiam mihi. *Cam.* Spondebimus, quidquid voles,
Modò liberos nos vinculis demum facis.
Corv. Centena faciam vota, si solvas citò.
Zos. Quid? vota Solvam iterum citò?
Camill. Nos, nos citò
Solvas

Solvas rogamus, ídque humillimè, infimè.
Zoſ. Tantiſper exſpectate. Votorum ſatis
Nondum eſt. Præibo plura, quæ ſanctè,
& piè
Spondebitis. Roſaria die qualibet
Centena. Tum jejunia in pane, & in aqua
Servanda. *Cam.* Quoties iſta? *Zoſ.* Tantum
ſepties
In hebdomade. Deinde tundetis die
Quavis flagello terga. *Corv.* Cujus? Zoſimi?
Vel Fratris illius impii, qui nos trabi
Huic alligavit? *Zoſ.* Veſtra, Veſtra tergora
Tundetis, ídque ſtrenuè. Tum denique
Spondebitis, vos velle poſthac vivere,
Ut vivere ſolent admodum ſancti viri,
Mihíque ſimiles. *Camill.* Diximus, quidquid
voles,
Spondebimus, modò vincla ſolvas. *Corv.*
Sed citò.
Zoſ. Si seriò ſpondetis hæc, confidite,
Sanctus meus Pachomius vos liberos
Præſtabit. Interim culina me vocat.
Valete. *Camill.* Quæſo Zoſime, exſolvas
priùs
His innocentes vinculis. *Zoſ.* Solvet meus
Pachomius, ſi ſtrenuè confiditis. * *abit Zoſimus.*
Camill. Fruſtra ſumus. Diſceſſit. Heu!
Moyſes ubi es?

Corv. Heu timeo, ne captivus & Moyses fiat;
Dum nullibi comparet. *Cam.* O miserrimos
Nos! *Corv.* Fortè reliqui si redibunt è choro
Fratres, erunt clementiores Zosimo,
Et Janitore, nósque tandem liberos
Sinent abire, si fatemur supplices,
Et deprecantes humiliter nostrum scelus.
Cam. In talium clementia spero parùm;
In Moyse solo tota spes. Moyses Veni!

SCENA SEPTIMA.

Camillus. Corvinus. Moyses. Stychus. Dorylas. Phorbas cum catenis & funibus, & in habitu lictorum.

Moyses tacitè. Bene quisque studeat agere Personam suam.
Spectaculum Dèo, & Angelis jucundum erit.
Stychus. Súntne hi latrones improbi, in claustrum sacrum
Irrumpere ausi? * *Corv.* Inferi! quid hoc rei?
O improbe nimis Monache! Lictores quoque

* ad stat Moyses sed facie

In

In innocentes advocas? *Doryl.* Judex brevì
Hìc adfuturus ſtatuet, an rei ſitis,
Vel innocentes. *Cam.* Qualis hìc Judex brevì
Eſt adfuturus? *Phorb.* Imò jam præſens adeſt
In hac eremo. Mox videbitis. Suum
Prætorem Alexandria veneratur. *Stych.* Agite
Satellites fidiſſimi, atque funibus
Demptis catenas injicite, tum Judici
Mox ſiſtite reos. *Cam.* Siſtite! hic locus ſacer,
Et eſt aſylum. Abſtrahere nos hinc non licet.
Stych. Crimen in aſylo qui patrârunt, neutiquam
Gaudent aſylo. *Doryl.* Et ecce! jam Judex adeſt.
Cam. O Cœlites! *Corv.* O Inferi! O Fratrem impium!

cucullo penitus obtecta, & vocibus tantùm loquitur.

SCENA OCTAVA.

Perſonis prioribus accedit Theophraſtus, qui ſe Judicem fingit.

Theoph. Ubi latrones? *Stych.* Ecce! *Cam. & Corv.* Miſericordia!

Ah Domine Prætor! misericordia! *Theoph.*
Impii
Clamare misericordiam frustra solent
Meum ad tribunal. Dicite sine ambagibus,
Quæ patria vobis? quod genus? quæ nomina?
Corv. Me nominare est solita Corvinum parens.
Scilicet avitum nomen à Corvis traho,
Nostræ familiæ semper addictis bene.
Nulla mihi certa patria, nec domus fuit
Unquam. Patrem vix cognitum lictor ferox
Eripuit, &, quò nescio, abduxit. Miser
Jam sum pupillus, fassus omnia candidè.
Theoph. ad Cam Et tibi patria quæ? quale nomen? quod genus?
Quid mutus hæres? *Cam.* Prædo sum, & latro. Reum
Habes fatentem. *Theoph.* Nomen, & genus tuum
Posco rescire. *Camill.* Nomen, & genus nihil
Huc pertinent. Sum prædo, sum latro. Sat est
Hoc scire Judicem. *Theoph.* Insolens! vis Judicem
Instruere? dic, quinam parentes sunt tui?
Adhúcne vivunt? *Cam.* Mortuum Patrem asserunt.

Theoph.

Theoph. Et Mater ubi nunc? quo loco, vel quo in ſtatu?

Cam. Ubicunque ſit, non dubito, erit miſerrima.

Theoph. Pluréſne genuit filios, fratres tuos?

Quid ingemis? *Cam.* Sum prædo, ſum latro, reus

Sum mortis, hanc ſubibo mox hoc in loco.

Pronuntia Sententiam. *Theoph.* Latro publicus

Supplicia ſubeat publica, foro publico.

Noſtra urbs Alexandria ſpectabit hodie

Gladium vibratum Nemeſis offenſæ foro

In publico. Illuc trahite malefauſtos reos.

Et tertium his adjungite, latronum Ducem

Primarium, quem nominant Moyſen. Simul

Peccâſtis, ergo dabitis & pœnas ſimul. * *abit Theophraſtus.*

Cam. Captúſne Moyſes pariter in veſtra manu eſt?

Phorb. In hac eremo Frater hic * captum tenet *Moyſen denotat.*

Veſtrum Ducem. *Stych. ad Moyſ.* Jam trade nobis, judice

Sic imperante. Hunc jungimus ſociis ſuis. * *abit cum aliquo*

Corv. An Frater iſte Dœmon? aut ſaltem Magus?

Te deprecante, gratiam vitæ mihi
Faciat, viciſſim gratiam fratri tuo,
Veniámque non negabo. Nunquid ſic ſatìs
Sum pœnitens, diſpoſitus ad mortem piam?

Cam. Abbas Verende! genibus advolvor tuis.
Non poſco vitæ gratiam, non deprecor
Mortem, nec ullum mortis infandæ genus.
Hoc unicum à Prætore, fac, quæſo, impetres,
Ne nos Alexandria videat ſub manu
Carnificis infami, atque publico in foro
Triſti ſecuri ſubditos. Hoc in loco,
In hac eremo, ubi plurimùm peccavimus,
Luamus etiam. Morte quacunque jubeat
Miſeros perire Prætor. accepto lubens
Quamcunque mortem, & quodlibet mortis genus.

Corv. Proteſtor, ego diſpoſitus ad mortis genus
Quodcunque non ſum. *Cam.* Repeto: ſolum hoc impetres,
Abbas, ne Alexandria videat ſub manu
Carnificis infami, atque publico in foro
Triſti ſecuri ſubditum. Hoc moriar loco
Lubens, voléns que, & ſi quidem Abbas ipſemet
Adeſſe mihi digneris in agone ultimo,
Tuóſque jubeas ſubditos eſſe comites,

Erit

Erit mihi ſolatio inter vos mori.

Selin. Camille ſpera. Vota complebo tua.

SCENA DECIMA.

Camillus. Corvinus.

Cam. Camille! quis me prodidit? nomen meum
Quî novit Abbas? prô pudor! *Corv.* Num nominis
Tui pudet te? tamen ego nomen meum
Sum faſſus absque ambagibus. *Cam.* Nomen meum
Prodit parentum, & totius ſtirpis probrum.

SCENA UNDECIMA.

Camillus. Corvinus. Moyſes in habitu Eremicolæ.

Moyſ. Camille! *Cam.* Quis me denuo nomine meo?
Moyſ Corvine! *Corv.* Fallor? num audio Moyſen? *Moyſ.* Vides,
Et pœnitentem, & ſupplicem Moyſen vides.
Cam. Quid veſtis iſta? *Moyſ.* Pœnitentis habitus eſt.

In

Prægrande dolium exhauriam tractu unico.

Camill. Ego dubius tantùm hæreo, num ad cellam priùs

Vinariam, vel ad culinam pergere -

Corv. Sileto. Ni fallor, moventur limina.

Cam. Moventur omnino. *Corv.* Igitur intrato prior,

Et tacitus, atque cautus explora omnia.

Tum ſubſequar quocunque mihi ſigno dato.

Et interim hic ſtans fervidas fundam preces,

Ut proſperè ſuccedat incœptum pium.

SCENA SECUNDA.

Corvinus ſolus.

Sumus latrones pauperes. Pium eſt opus
Paſcere famelicos, dare ſitientibus
Potum. Pium hoc opus liceat hodie mihi
Clementer exercere. Cupio hoc unicè
Potare, paſcere pauperem. Cœlum fave!

SCENA

SCENA TERTIA.

Camillus. Corvinus.

Camill. * Corvine! citò, Corvine! citò Moyses! *Corv.* Næ ita
Clames stupor. Jam venio. prægrande dolium
Repererit, hoc portare cùm solus nequit,
Opem invocat. Jam venio, jam adsum. * Quid rei hoc?
Camille! Moyses! Inferi! Moyses juva!

** Intra scenam.*

** Januam intrantem Corvinum obruit, & funem illi injicit Eremicola tectus facie cucullo. Mox iterum clauditur janua.*

SCENA QUARTA.

Zosimus.

Silentium! Silentium! in sacra domo
Quis hic tumultus? & quidem Fratrum Choro
Sacras preces fundente? Sic fit, si hospites
Tot exteri admittantur ad claustrum: perit
Mox tota Disciplina, vel saltem grave
Dispendium pati solet silentium.

SCENA

SCENA QUINTA.

Zosimus. Moyses in habitu Eremicolæ, sed adbuc cucullo faciem tectus.

Zos. Tu janitor compescere insolentiam
Hanc negligis ? vel ipse fueras forsitan
Tanti tumultûs author? & - *Moyses.* * Silentium
Zosime , silentium in sacra domo , & Choro
Fratrum preces fundente. *Zos.* Quid video? impius
Hic prædo rursum adest ? & in habitu sacro ?
Quid, obsecro, moliris hac tandem die?
An Monachus es, vel prædo? *Moys.* Utrumque Zosime
Sum jussus agere, & ex obedientia.
Zos. Utrumque? combinatio mirabilis,
Prædo , simulque Monachus ! hæc captum meum
Superant, licèt aliàs satis sim perspicax.
Deinde, si vis esse Monachus denuo ,
Cur non modò cum Fratribus reliquis Chorum
Accedis? *Moys.* Et cur Zosimus non in Choro est ?
Zos. Legitimè impeditus ego laboribus
Meæ

* *Remoto cucullo faciem detegit.*

Meæ culinæ. *Moyſ.* Etiam ego Januæ meæ.
Zoſ. Tu Janitor? *Moyſ.* Sic juſſit Abbas, hoc die
Ut Janitoris munus implerem. Vides,
Quas ipſus Abbas tradidit claves mihi?
Zoſ. Non capio noſtri Abbatis hac luce regimen.
Claves latroni tradere! *Zoſ.* Has tibi modò
Concredo. Serva januam interim vigil,
Donec redeam ab Abbate, quem quæro, nova
Juſſa ejus auditurus. Accipe. *Zoſ.* Quid? Ego
Servare claves Januæ? an nondum, ſatis
Putas, culina me occupat? *Moyſ.* Saltem cave,
Næ fortè captivæ intus avolent aves.
Zoſ. Quales aves? *Moyſ.* Videbis. Intra hæc limina.

SCENA SEXTA.

Zoſimus. Camillus, & Corvinus columnæ alligati.

Corv. Maledicte Frater Beſtia! *Cam.* Ah Moyſes ubi es!
Corv. O Inferi diſcerpite infandum pecus!

Cam.

Cam. O Cœlites miſeremini ! *Zoſ.* Quid hîc novi ?
Cam. Ah plurimum Reverende Frater Zoſime,
Quàm te videre gaudeo. Scis, milites
Nos eſſe. *Zoſ.* Sic dixiſtis in ſylva priùs.
Sed hîc quid agitis ? quæritis ? vultis ?
Cam. Sonum
Audivimus campanulæ veſtræ, ad Chorum
Fratres vocantis. *Zoſ.* Credo: Quid dein ?
Cam. Sacrum
Speravimus legendum, huic ducti pia
Devotione, & more conſueto probis
Statuimus intereſſe, ſed vix limina
Clauſtri ſubire cœpimus, cum, neſcio
Quis, credo, crudus Janitor veſter fuit,
In nos moloſſi ad inſtar irruit furens,
Fruſtráque deprecantibus vincla injicit,
Et his columnis alligat. *Zoſ.* Quare? an nihil
Locutus eſt ? *Corv.* Nec verbulum ore protulit,
Quin nec videndam præbuit faciem ſuam,
Totum cucullo perfidus texit caput.
Zoſ. Suſpecta res eſt. Janitor noſter ſinè
Abbatis imperio facere nihil ſolet.
Ni fortè Moyſes - *Cam.* Nempe nos Frater bonus
Forſan latrones credidit. Tu Zoſime
Scis

Scis milites nos esse. Deme vincula,
Et innocentes solve. *Zos.* Non totos tamen
Vos innocentes credo. Cœlum vincula
Injecit, & justissimam in pœnam: quia
Corv. Quia sacro interesse voluimus? *Zos.* Quia
Mea jussa neglexistis. An non jusseram,
Imò & rogâram, ut omne lustrantes nemus
Moysen latronem capere, captúmque arbore
E proxima suspendere studeatis? En!
Neglecta monita Zosimi, & spretas preces
Sancti viri jam vindicat justus DEus.
Camill. Culpam fatemur supplices, solvas modò.
Percurrimus mox impigrè totum nemus,
Moysénque cupidi quærimus. *Corv.* Sed fac citò.
Aliàs latronum Ductor hic nostras manus
Evadet. *Zos.* * Estis fortiter juncti invicem.
Planè, ùt videtur, útque jam dixi priùs,
His vinculis vos strinxit in pœnam DEus.
Camill. Agnovimus culpam, ergo pœnarum satis
Jam dedimus. Iterum solve nexos. *Zos.* Quod DEus
Conjunxit, homo non separet. *Corv.* Non nos DEus

* *Circumcirca attente consideratos.*

Conjunxit hodie, sed aliquis dæmon malus.
Zos. Idem ergo vos & solvat. Ego cum dæmone
Nolim negotii aliquid. *Camill.* Ah Charissime,
Et plurimùm Reverende Frater! *Zos.* Plurimùm
Reverende Frater. Titulus hic nimius. Parùm
Reverende Frater, dicite, hoc pro me satis.
Corv. Ah Domine gratiosissime! Colendissime
Patrone! *Zos.* Si Patronum vobis quæritis,
Sancto meo Pachomio este supplices,
Huic vota grandi facite cum fiducia.
Cam. Quæ vota? *Zos.* Paupertatis. Hoc primum. *Corv.* Sumus
Vel absque voto jam diu pauperrimi.
Zos. Votum alterum sit Castitatis. Tertium
Perfectæ Obedientiæ. *Corv.* Cui? tibi
Obediamus? *Zos.* Si Superior eligar,
Etiam mihi. *Cam.* Spondebimus, quidquid voles,
Modò liberos nos vinculis demum facis.
Corv. Centena faciam vota, si solvas citò.
Zos. Quid? vota Solvam iterum citò?
Camill. Nos, nos citò

Solvas

Solvas rogamus, idque humillimè, infimè.
Zoſ. Tantiſper exſpectate. Votorum ſatis
Nondum eſt. Præibo plura, quæ ſanctè,
& piè
Spondebitis. Roſaria die qualibet
Centena. Tum jejunia in pane, & in aqua
Servanda. *Cam.* Quoties iſta? *Zoſ.* Tantum ſepties
In hebdomade. Deinde tundetis die
Quavis flagello terga. *Corv.* Cujus? Zoſimi?
Vel Fratris illius impii, qui nos trabi
Huic alligavit? *Zoſ.* Veſtra, Veſtra tergora
Tundetis, idque ſtrenuè. Tum denique
Spondebitis, vos velle poſthac vivere,
Ut vivere ſolent admodum ſancti viri,
Mihique ſimiles. *Camill.* Diximus, quidquid voles,
Spondebimus, modò vincla ſolvas. *Corv.*
Sed citò.
Zoſ. Si feriò ſpondetis hæc, confidite,
Sanctus meus Pachomius vos liberos
Præſtabit. Interim culina me vocat.
Valete. *Camill.* Quæſo Zoſime, exſolvas priùs
His innocentes vinculis. *Zoſ.* Solvet meus
Pachomius, ſi ſtrenuè confiditis. * *abit Zoſimus.*
Camill. Fruſtra ſumus. Diſceſſit. Heu!
Moyſes ubi es?

Corv. Heu timeo, ne captivus & Moyses fiat;
Dum nullibi comparet. *Cam.* O miserrimos
Nos! *Corv.* Fortè reliqui si redibunt è choro
Fratres, erunt clementiores Zosimo,
Et Janitore, nósque tandem liberos
Sinent abire, si fatemur supplices,
Et deprecantes humiliter nostrum scelus.
Cam. In talium clementia spero parùm;
In Moyse solo tota spes. Moyses Veni!

SCENA SEPTIMA.

Camillus. Corvinus. Moyses. Stychus. Dorylas. Phorbas cum catenis & funibus, & in habitu lictorum.

Moyses tacitè. Bene quisque studeat agere Personam suam.
Spectaculum Deo, & Angelis jucundum erit.
Stychus. Súntne hi latrones improbi, in claustrum sacrum
Irrumpere ausi? * *Corv.* Inferi! quid hoc rei?
O improbe nimis Monache! Lictores quoque

* ad stat Moyses sed facie

In

In innocentes advocas? *Doryl.* Judex brevì
Hìc adfuturus ſtatuet, an rei ſitis,
Vel innocentes. *Cam.* Qualis hìc Judex brevì
Eſt adfuturus? *Phorb.* Imò jam præſens adeſt
In hac eremo. Mox videbitis. Suum
Prætorem Alexandria veneratur. *Stych.* Agite
Satellites fidiſſimi, atque funibus
Demptis catenas injicite, tum Judici
Mox ſiſtite reos. *Cam.* Siſtite! hic locus ſacer,
Et eſt aſylum. Abſtrahere nos hinc non licet.
Stych. Crimen in aſylo qui patrârunt, neutiquam
Gaudent aſylo. *Doryl.* Et ecce! jam Judex adeſt.
Cam. O Cœlites! *Corv.* O Inferi! O Fratrem impium!

cucullo penitus obtecta, & nutibus tantùm loquitur.

SCENA OCTAVA.

Perſonis prioribus accedit Theophraſtus, qui ſe Judicem fingit.

Theoph. Ubi latrones? *Stych.* Ecce! *Cam.* & *Corv.* Miſericordia!

Ah Domine Prætor! misericordia! *Theoph.*
Impii
Clamare misericordiam frustra solent
Meum ad tribunal. Dicite sine ambagibus,
Quæ patria vobis? quod genus? quæ nomina?
Corv. Me nominare est solita Corvinum parens.
Scilicet avitum nomen à Corvis traho,
Nostræ familiæ semper addictis bene.
Nulla mihi certa patria, nec domus fuit
Unquam. Patrem vix cognitum lictor ferox
Eripuit, &, quò nescio, abduxit. Miser
Jam sum pupillus, fassus omnia candidè.
Theoph. ad Cam Et tibi patria quæ? quale nomen? quod genus?
Quid mutus hæres? *Cam.* Prædo sum, & latro. Reum
Habes fatentem. *Theoph.* Nomen, & genus tuum
Posco rescire. *Camill.* Nomen, & genus nihil
Huc pertinent. Sum prædo, sum latro. Sat est
Hoc scire Judicem. *Theoph.* Insolens! vis Judicem
Instruere? dic, quinam parentes sunt tui?
Adhúcne vivunt? *Cam.* Mortuum Patrem asserunt.

Theoph.

Theoph. Et Mater ubi nunc? quo loco, vel quo in ſtatu?

Cam. Ubicunque ſit, non dubito, erit miſerrima.

Theoph. Pluréſne genuit filios, fratres tuos?

Quid ingemis? *Cam.* Sum prædo, ſum latro, reus

Sum mortis, hanc ſubibo mox hoc in loco.

Pronuntia Sententiam. *Theoph.* Latro publicus

Supplicia ſubeat publica, foro publico.

Noſtra urbs Alexandria ſpectabit hodie

Gladium vibratum Nemeſis offenſæ foro

In publico. Illuc trahite malefauſtos reos.

Et tertium his adjungite, latronum Ducem

Primarium, quem nominant Moyſen. Simul

Peccâſtis, ergo dabitis & pœnas ſimul. * *abit Theophraſtus.*

Cam. Captúſne Moyſes pariter in veſtra manu eſt?

Phorb. In hac eremo Frater hic * captum tenet *Moyſen denotat.*

Veſtrum Ducem. *Stych. ad Moyſ.* Jam trade nobis, judice

Sic imperante. Hunc jungimus ſociis ſuis. * *abit cum aliquo*

Corv. An Frater iſte Dœmon? aut ſaltem Magus?

ex servis Moyses cucullo tectus. ** Prodit Selinandus.*

O! ùt! *Doryl.* Furorem pone. damnatus neci,
Te præparare jam incipe ad mortem piam.
Phorb. * En hìc Patrem, piissimum planè virum,
Plenúmque charitate, cum hoc negotium
Animæ modò peragite, nam de corporis
Negotio mox carnifex vobiscum aget.
Styeh. Nos paululùm recedimus. Soli Patri
Fateamini fideliter vestra scelera.

SCENA NONA.

Selinandus. Camillus. Corvinus.

Sel. Condoleo miseris. Offero, quam possum, opem
Meam, & meorum. *Corv.* Forsitan es Abbas? rogo
Moriturus à te hoc unicum: illam bestiam,
Illud pecus crudissimum, illum dœmonem,
Magúmque maledictissimum, ad claustri tui
Limina latrantem Cerberum, Fratrem impium
Nostræ calamitatis authorem unicum
Prout meretur, punias. Centum dies
In pane solo, & frigidâ, & centum flagris

Terga

Terga laceratus quotidie, & tandem in-
fimo,
Tetróque clausus carcere æternùm gemat.
Hoc si mihi spondebis, ad mortem piè
Me præparabo denique. *Sel.* Furorem
exue.
Agnoscit iste Frater errores suos,
Damnátque amaris lacrymis. Pœnam
quoque
Sibi ipsemet dictavit, & longè quidem
Acerbiorem, quam tuus petiit furor.
Perpetua jam jejunia dixit sibi,
Durísque sævit proprium in corpus flagris
Antróque clausus horrido æternùm ge-
met,
Quod tot malorum fuerit author, & tibi,
Tuísque sociis. *Corv.* Nonne mentiris
Pater?
Idem ipse Frater namque lictorum manus
Adduxit in nos antea, & coram diu
Nullo doloris edito signo adstitit.
Modò recessit cum satellitum manu,
Ut pariter illis traderet Moysen, Ducem
Nostrum, Patrémque Patre mihi charum
magis.
Sel. Non mentior, mi Amice. Fratrem
istum brevì
Videbis ipse supplicem ad pedes tuos,
Et deprecantem. Jam tuum est ignoscere,
Veniámque non negare. *Corv.* Si Prætor
quoque

Te deprecante, gratiam vitæ mihi
Faciat, viciſſim gratiam fratri tuo,
Veniámque non negabo. Nunquid ſic ſatìs
Sum pœnitens, diſpoſitus ad mortem piam?
Cam. Abbas Verende! genibus advolvor tuis.
Non poſco vitæ gratiam, non deprecor
Mortem, nec ullum mortis infandæ genus.
Hoc unicum à Prætore, fac, quæſo, impetres,
Ne nos Alexandria videat ſub manu
Carnificis infami, atque publico in foro
Triſti ſecuri ſubditos. Hoc in loco,
In hac eremo, ubi plurimùm peccavimus,
Luamus etiam. Morte quacunque jubeat
Miſeros perire Prætor. accepto lubens
Quamcunque mortem, & quodlibet mortis genus.
Corv. Proteſtor, ego diſpoſitus ad mortis genus
Quodcunque non ſum. *Cam.* Repeto: ſolum hoc impetres,
Abbas, ne Alexandria videat ſub manu
Carnificis infami, atque publico in foro
Triſti ſecuri ſubditum. Hoc moriar loco
Lubens, voléns que, & ſi quidem Abbas ipſemet
Adeſſe mihi digneris in agone ultimo,
Tuósque jubeas ſubditos eſſe comites,

Erit

Erit mihi ſolatio inter vos mori.

Selin. Camille ſpera. Vota complebo tua.

SCENA DECIMA.

Camillus. Corvinus.

Cam. Camille! quis me prodidit? nomen meum
Quî novit Abbas? prô pudor! *Corv.* Num nominis
Tui pudet te? tamen ego nomen meum
Sum faſſus absque ambagibus. *Cam.* Nomen meum
Prodit parentum, & totius ſtirpis probrum.

SCENA UNDECIMA.

Camillus. Corvinus. Moyſes in habitu Eremicolæ.

Moyſ. Camille! *Cam.* Quis me denuo nomine meo?
Moyſ Corvine! *Corv.* Fallor? num audio Moyſen? *Moyſ.* Vides,
Et pœnitentem, & ſupplicem Moyſen vides.
Cam. Quid veſtis iſta? *Moyſ.* Pœnitentis habitus eſt.

In

In hoc mori juvabit. *Cam.* In veste Monachi
Mori latronem? *Moyſ.* Pœnitentem. *Corv.* Tam piè
Te præparas ad mortem? *Moyſ.* Ut etiam vos mei
Socii fideles ſemper, exemplum Ducis
Sequamini, hortor, obſecro, obteſtor. Malè
Didiciſtis olim vivere exemplo meo,
Nunc pariter à me diſcite emori piè.
Cam. Ah chare Moyſes! moriar, & tecum piè
Moriar, modò non publico urbis in foro.
Sola mihi Alexandria terribilem facit,
Durámque mortem: nam ſub infami manu
Carnificis, atque ad limina paternæ domûs
Stare in pudendo pegmate Camillum, palam
Inter latrones conſpici affixum rotæ
Prætoris olim filium, heu! quantum probrum!
Quantus erit iſte Matris infauſtæ pudor,
Dolórque! *Moyſ.* Me non terret urbis publicum
Forum, aut Alexandria: namque hoc in loco,
In hac eremo debitas pœnas dabo

Scele-

Scelerum meorum. Hîc moriar, & moriar lubens.

Cam. Iſtámne fecit gratiam Prætor tibi?

Moyſ. Nil Prætor ad me. *Corv.* Prætor ad te cur nihil?

Nonne ille Judex noſter eſt, qui nos neci

Addixit. *Moyſ.* At ego timeo Prætorem nihil.

Nil ille juris in ſacros homines habet,

Locósque ſacros. Tutus ab hujus manu

In hoc aſylo dego, & inde neutiquam

Exibo. Solum Judicem timeo Deum.

Cam. Spes vana Moyſen decipit, nullum patet

Nobis aſylum publicis latronibus.

Moyſ. Mihi hoc aſylum patuit, & per quatuor

Annos fidele texit. *Cam.* Annos quatuor

Te texit hæc eremus? *Corv.* Haud capio ſatis

Tua dicta. *Moyſ.* Socii, pando, quæ volui hactenus

Latere vos. A quatuor jam annis, quibus

Me perditum luxiſtis, iſthoc incolo,

Indignus etſi hac gratia, clauſtrum ſacrum,

Summóque cum ſolatio. *Cam.* Clauſtrum ſacrum

Moyſes latronum Ductor? *Moyſ.* Heu! talem pudet,

Et

Et pœnitet fuiſſe. Deflevi diu,
Et te Camille plurimùm flevi, malè
Deperditum, atque ſcelere ſeductum meo.
Corv. Tamen hodie nos denuo ad prædas novas
Prædo ipſus invitaveras hunc in locum?
Moyſ. Amore veſtrûm, fateor, hodie denuo
Veſtes latronis indui. *Cam.* Infeliciter
Omnino. *Corv.* Ubi ille Frater Beſtia, & Dœmon malus
Qui nos ligavit improbè omnes tres ſimul?
Noſtíne? *Moyſ.* Novi. Credite, hic frater quoque
Amore veſtrûm, quidquid auſus eſt, agit.
Cam. Amore noſtrûm? hic eſt amor mirabilis,
Vinclis miſellos ſtringere, & lictoribus
Tradere necandos. *Corv.* Poteris illi ignoſcere?
Moyſ. Ex corde totô. Quin ago grates quoque.
Corv. Ut fatear, es diſpoſitus ad mortem piè.
Moyſ. In hac eremo quotidie didici mori;
Unúmque ſummum Judicem Deum timens,
Securus hominum vivo. *Cam.* Sed hodie tamen

Poſtquam latronem Prætor agnovit, trahi
In vincla juſſit, atque nobiſcum cruci
Addixit utique ? *Moyſ.* Prætor in homines ſacros
Juris nihil ſibi arrogat. *Corvin.* An ergo ſacer
Homo es? *Moyſ.* Deo ſacrata clauſtra dum incolo,
Sacráſque veſtes indui, indignus licèt,
Hominum ſacrorum juribus tutus fruor.
Corv. Camille, quid ſi pariter & nos jam ſacram
Veſtem induamus, liberi à lictoribus
Per hanc futuri? *Moyſ.* Neutiquam ſat eſt, ſacram
Induere veſtem. oportet & mores ſacros
Induere, vitam vivere ſacratis Deo
Dignam viris, ſanctámque, ſi quiſquam velit
Hominum ſacrorum juribus meritò frui.
Præſertim in hac eremo quantus eſt rigor!
Jejunia hìc perpetua, vigiliæ, preces
Diu, noctúque. Corpori nullum datur
Solatium, conſcinditur durîs flagrîs,
Laboribus laſſatur, & verbo omnia
Complectar, abnegandus eſt totus hominis
Affectus, atque propria voluntas mori,
Frangíque debet quotidie. Denique decet
Semper alieno vivere arbitrio, manu,
Ductú-

Ductúque folo Abbatis ad nutum regi.
Corvin. Hæc funt, fatebor, dura; fed tamen puto
Meliùs fore fub Abbate rigido vivere,
Quam ftare fub carnifice. Nunquid & tua
Sententia hæc Camille? Non mecum facram
Veftem indues, vitámque meliorem? *Cam.* Nimis
Hæc fera funt Corvine vota, & inania.
Jam fub tremenda Judicis ftamus manu,
Jam judicati, & jure damnati fumus.
At tu mihi chariffime, & plus quàm Pater
Amate Moyfes, qui pariter ùt filium
Me folitus es diligere, cur, dic, obfecro,
Ad facra profugus clauftra non tecum fimul
Tuum Camillum trahere ftuduifti piè?
Quàm mente prompta, & impigra Moyfen Ducem
Secutus effem ad fanctius vitæ genus!
Effet modò beatus, & fanctus, tuus
Tecum Camillus, nec fub infami manu
Carnificis urbis publico ftaret foro
Stirpis probrum, Parentis æternus dolor,
Pudórque. *Moyf.* Perge porro. Lætus audio
Sic increpantem. *Cam.* Meritus es nunquid bene
Sic increpari? factus à te fum latro,
Tuóque

Tuóque ductu, factus à te sum miser.
Moys. An te beatum crederes, si nunc fores
In hac eremo Monachus? *Cam.* Ah! quæ quæstio
Inepta: num beatiùs sit vivere
Sanctum, atque sanctos inter, an verò impios
Inter latrones publicè infamem mori?
Moys. Quod si ergo Prætor gratiam hanc faceret tibi,
In hac eremo ut eluas crimen tuum
Vivendo posthac sanctiùs, & in hoc pio
Cœtu virorum pœnitens verè? *Camill.* Latro
Sperare tantam gratiam ánne unquam queat?
A tam severo Judice? & si gratiam
Hanc ipse Judex faceret, an viri sacri
Admittere ad consortium suum improbum
Vellent latronem? *Moys.* Fuerat & Moyses latro,
Tamen, ùt videtis, vivit in claustro sacro.
Nempe hæc eremus pœnitentiæ est locus,
Veréque pœnitentibus semper patet.
Cam. At non mihi. Jam sera sunt vota omnia.
Judex severus in caput meum, & tuum *
Jam fulminavit ultimam Sententiam.

* *Ad Corvinum*

G Cor-

Corvine! nulla in orbe ſpes nobis ſuper.
Corv. Nec in ſacratis veſtibus? Miſerrimos!
Moyſ. Si nulla ſpes in orbe ſit vobis ſuper,
Confugite Socii ad Cœlites. creſcit mihi
Fiducia ingens. Vota præeuntem ſequi
Modò audeatis, ſpondeo, Cœlum potens
Camille te ſervabit, & ſocium quoque
Servabit. *Cam.* A quo? *Moyſ.* A Judicis tutos manu,
Et à probroſa morte, quam ſolam times.
Sic audeo ſpondere, & hoc certiſſimè.
Cam. Certiſſimè? *Moyſ.* Certiſſimè. *Corv.* O ſi - - *Moyſ.* Jam pium
Præibo votum. Vos Socii ſequamini,
Quod ore dico, corde contrito. Genu
Flectamus. O ſine fine miſericors Deus!
Ego miſer peccator, infamis latro,
Indignus omni gratia, & dono tuo,
Camill. Indignus utique! *Moyſ.* Fateor, extrema merui
Supplicia, mortes mille, & æternos rogos.
Cam. Merui. *Moyſ.* Paternam adoro plectentis manum.
Cam. Adoro. *Moyſ.* Juſtum ô Domine! judicium tuum.
Cam. Juſtiſſimum. *Moyſ.* Sed pariter, & magna eſt tua
O Domine! miſericordia, hæc vitam mihi
Si pœnitenti indulgeat, totam unicè
Poſthac

Posthac tibi dicabo, totam. *Camill.* Utique ô Deus!
Totam. Tibi uni totam, & unicè. *Moys.* Insuper
In hac eremo pœnitens verè, mea
Deflebo scelera, & sponte pœnas debitas
Judex severus exigam de me. *Cam.* Exigam
Pœnas severas, nec mihi parcam: modò
Tu parce Domine! *Moys.* Denique in claustro sacro
Indignus etsi moriar æternùm tuus.
Sic spondeo, sic voveo, sic juro! *Cam.* O Deus!
Sic spondeo, sic voveo, sic juro. *Corv.* Etiam ego
Sic spondeo, sic juro.

SCENA ULTIMA.

Personæ omnes.

Selim. - - Jam felix Nepos
Camille surge! surge, & in amplexus rue
Avunculi. *Mel.* Quam lætus amplector modò
Te pœnitentem Frater! *Theoph.* O felix iter!
Quod perditum restituit agnatum mihi.
Jam Judicis depono personam. Vides

Tuæ ſororis conjugem, & Matris tuæ
Servos fideles. Vive jam poſito metu
Camille! *Selin.* Quid gemiſcis, & vultum tegis?
Cam. Pereo pudore. Avuncule! agnate! hoc probrum
Stirpis, latronem publicum vos plauſibus
Excipitis? ah licuiſſet ignoto mori!
Dixi, pudore pereo. *Theoph.* Quàm hic pudor placet!
Mel. Dum pœnitet, pudétque fratrem feriò
Vitæ prioris, jure cuncti plaudimus,
Plaudétque Mater pariter. *Cam.* Ah matris ſile
Pretioſa nimiùm nomina. Heu quantus pudor,
Dolórque Matris, filius latro impius!
Theoph. Sed pœnitens modò, quod unicè Parens
Tot lacrymis petiit. *Selin.* Nepos chariſſime!
Jam filius futurus in Chriſto es meus
Cum Moyſe, quem ſecutus ad crimen Ducem,
Sequêris hodie ad ſanctius vitæ genus.
Cam. Indignus hac ſum gratia infamis latro.
O ſi liceret infimo abjectum loco
In ultimo clauſtri angulo ad Fratrum pedes
Sanctos

Sanctos jacentem degere! *Sel.* Quod optas, licet.
Amplector iterum Filium in Christo meum.
Accede Moyses, Prædo Prædonum pius.
Hodie fuisti. *Moys.* Noscitis Fratrem modò,
Qui vos ligavit? Ecce me authorem. pio
Ego ipse vobis vincula injeci dolo,
Sed vincla charitatis. Ignoscis modò
Corvine? vel quid statuis? An Moysen ducem
Porro sequêris? *Cam.* Et Camillum an respuis
Habere Fratrem in Christo? *Corv.* An infamis adeò
Peccator hanc sperare poterit gratiam?
Abbas Verende, filios inter tuos
Non postulat Corvinus admitti, nimis
Indignus isthoc nomine, in claustro sacro
Patiare mediastinus ultimus tuis
Inserviam. Camille, Moyses, hanc mihi
Oro, impetrate gratiam. *Sel.* Haud precibus opus.
Est hæc eremus pœnitentiæ locus,
Veréque pœnitentibus semper patet.
* Igitur venite filii charissimi. ** Aperitur. in eremo cers*
En hunc latrones inter affixum cruci,
Qui nec latronem despicit in actu ultimo

...nitur imago Christi crucifixi inter duos latrones.

Vitæ rogantem veniam. Hic ad vos brachia
Extendit, atque invitat. Hunc posthac Ducem
Sequamini ex prædonibus facti pia,
Et sancta Christi præda. *Cam.* Felices nimis
Corvine nos! * O Domine ne nos despice!
Cruci latronum gratiâ ereptos tuâ,
Jam sanctiori affigito tecum cruci.
Mel. Adesset utinam Mater huic spectaculo!
Quo gaudio difflueret? *Theoph.* Hæc reduces domum
Narrabimus. *Sel.* Sed antea magno Deo
Dicamus omnes gratias, cujus manus
Ex improbis latronibus sanctos facit.

** Projecti ad pedem crucis eam amplectuntur.*

O. A. M. D. G.



S. DA-

S. DASIUS M.

ARGUMENTUM.

DOroſtorum urbs Myſiæ crudeli ſuperſtitione Saturnum coluit, cui quot annis adoleſcentiæ Principem imolavit. Infelicem victimam per dies priùs triginta ſaginatam, auro, & purpurâ indutam ad aras adducebant inter riſus, & gaudia morituram. Ejusdem caput aris poſtea impoſitum ùt novam Divinitatem adorabant. Cecidit ſors hæc etiam in Daſium adoleſcentem lectiſſimum, qui tamen ſuperſtitionem in tempore dedoctus, dum Saturno noluit, felicior Chriſto victima cecidit. *Ex Faſtis Marianis.*

Scena ponitur Doroſtori, in templo Saturni.

PERSONÆ.

Beſſus, *Prætor Doroſtori.*
Daſius, *Prætoris Nepos ex ſorore.*
Patroclus, *Daſii Frater natu major.*
Beryllus, *Prætoris filius.*
Clearchus, *Tribunus plebis.*
Gagegorus, *Archipopa Saturni.*
Stolander, *Popa Gagegori æmulus.*
Theonas, *Patrocli libertus.*
Dromus, *Patrocli pediſſequus.*
Popæ, Milites Prætoriani, Cives &c.

ACTUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Theatrum exhibet templum Saturni cum atrio, & adjunctis Poparum ædibus, quas cingunt armati. In templo apparatus pro solenni Sacrificio Ethnicis consueto.

Bessus. Clearchus. Gagegorus. Beryllus. Popæ. Cives. Prætoriani.

BEss. Vicêre Superi. Cedo: nil ultra abnuo.
Sistatur aris victima electa à Polo.
Spectate Cives: discite hac tandem die,
Quid audeat pro Patria, & patriis Diis
Prætoris animus: nempe proprium sanguinem
In Dasio Nepote mihi charissimo
Deorum honori, & civium bono immolo.
Quin immolarem & filium, si filium
Honor Deorum posceret, & urbis salus.
Clearch. Hæc in Deos, & Patriam pietas tua
Cœli favores, civium applausus novos,

 Meri-

Meritásque laudes provocat. *Gageg.* Et ego quoque
Summus Poparum, nomine Deorum omnium
Perſolvo grates: gratulor ſimul tuæ
Domui in Nepote ſanguinem affinem Diis.

SCENA SECUNDA.

Perſonis prioribus accedit Stolander manu ferens laminam auream.

Stol. Lætare civis! plaude felix Myſia!
Omen beatum refero. * Cernis laminam
Hanc auream, atque laminæ inſcriptas notas.

* Ad Prætorem.

Beſſ. Unde illa? *Stol.* Dum ſolennia ad ſacra apparo
Aras Deorum, paululùm effodiens humum
Invenio lætum oraculum. *Beſſ.* Palam lege. *
Gag Annuntiare arcana Divorum mihi
Summo Poparum convenit ſoli. Legam.
Diis negatus Sponte cùm fluet cruor,
Novúmque Myſus viderit in aris Deum,
Patriæ reducet ſæcla Divorum Pater
Meliora Sæclis aureis. *Clearch.* Quid clariùs
Vel lætius pro Myſia dici queat?

* Gagegus laminam Stolandro eripit.

Diu

Diu negâstis Mater, atque Avunculus
Nepotis, atque Filii charissimum
Diîs immolare Sanguinem, hac tandem
die
Non amplius vetante te, *Sponte effluet*
Cruor negatus: victimæ sacrum caput,
Spectabit aris Mysiæ impôstum brevi
Novúmque Patria in Dasio *cernet Deum.*
Gag. Interpretaris optimè, ad amussim
omnia.
Meâ immolatus dexterâ hodie Dasius
Fulgebit aris Mysiæ novus DEUS. . .
Beryll. Quid? Dasius sit Mysiæ novus
DEUS?
Populo colendus insideat aris puer,
Et filius Prætoris ad subsellia
Supplex stet? imo & Dasio curvet genu?
Patieris ista Genitor? *Bess.* Ita Dii ju-
bent.
Non te Berylle, at Dasium elegit sibi
Saturnus. *Beryll.* Ergo patere, discedam
procul,
Injuriam dum concoquo. Nequibo pue-
rum
Sedentem in aris cernere. *Bess.* Domum
ergo redi.
Clearch. En jam appropinquat victima.
Stol. Spatium date.

SCENA

SCENA TERTIA.

Procedit Dasius ornatus, ut solent victimæ ornari, quem præcedunt adolescentes compti, qui viam floribus inspergunt, alii odores præferunt &c. &c.

Personæ, quæ prius, excepto Beryllo. accedit Dasius cum comitatu suo.

Bess. Quàm fronte læta properat ad mortem Nepos!
Gag. Hoc suada nostra effecit admirabilis.
Ego has tenello in pectore accendi faces,
Ut fronte læta properet ad mortem puer.
Stol. Non tu, sed admiranda Saturnî manus,
Amórque Cœli Dasio hos animos dedit.
Das. Avunculе Illustrissime, an nôsti meam
Felicitatem? *Bess.* Gratúlor, Nepos, tibi
(Si fas Nepotem dicere vocandum Deum)
Sortem beatam. Gratulor honores novos,
Et erigendum in æthere excelso thronum,
In quo locabit Dasium Saturni amor.
Das. In Dasium ingens utique Saturni est amor,
Favórque, qualem experior. Ex quo tempore

Hac

Hac moror in æde, nempe ter dênos dies,
Omnibus abundo. Non tot in Matris Domo
Deliciæ, honores, gaudia implêrunt sinum,
Ut inter isthæc tecta Saturno sacra.
Gag. Hæc levia, quêis hucusque Saturni favor
Te perpluit, sunt gaudia, & tenues opes;
Majora spondet Dasio in cœlis Deus.
Receptus astris cœlitum nectar bibes,
Patris Deorum corculum in curru aureo,
Et veste fulgens aurea latos Poli
Campos perambulabis, & nubes super,
Solémque positus astra calcabis pede.
Das. Exspecto tanti cupidus adventum Dei.
An brevì aderit Saturnus? *Gag.* Hæc mea dextera
Mox Numini te junget. Hac hora potes
Divinitatis intimo amplexu frui,
Deus ipse mox futurus. *Clearch.* Hunc thronum occupa. *
Et aure pronâ Mysiæ vota excipe,
Patriæque desideria Saturno refer;
Namque impetrare poteris à Divûm Patre,
Quidquid hodie petieris. *Das.* Occupo thronum.
Petita charæ Patriæ audiam lubens.

** Ad latus ara positus thronus victimæ.*

Primam

Primam tamen, quæ vota depromat ſua,
Adeſſe Matrem pervelim. *Gag.* Hodiernis ſacris
Nefas adeſſe fœminas. *Daſ.* Quid? fœminæ
Prohibentur aris, & ſacris? *Stol.* Tantùm hac die,
Qua ſacra ſummo peragere in ſilentio
Oportet. *Daſ.* Acquieſco; ſed ſaltem velim
Adeſſe Fratrem. *Beſſ.* Ad exteras Fratrem plagas
Nôſti profectum. *Daſ.* Quando rediturus? *Beſſ.* Brevì,
Ut Mater optans ſperat, & frequentibus
Jam litteris, curſoribúsque provocat,
Urgétque reditum filii. *Clearch.* Ubi primùm redux
Attigerit urbem, protinus templum petet.
Hìc tu videbis jam inſidens aris Deus
Cum Fratre Matrem pedibus adſtratam tuis.
Beſſ. Unáque mecum Myſiam totam. *Daſ.* Bene eſt:
Quocunque veniat tempore ad templum Parens,
Fratérve, me monete: deſcendam illico
Ab arce cœli. Linquo Saturni ſinum
Ad audiendas Matris, & Fratris preces.

Tu

Tu verò avuncule jam modò exponas, licet,
Quid Dasium referre Saturno velis.
Bess. Divinitatem proximam, Nepos, tibi
Jam gratulatus, intimè novo Deo
Commendo totam Mysiam: Patriam tuam
Ab axe semper respice, & si quid mali
Dorostoro minabitur vel hostium
Furor, vel ira Cœlitum, avertas procul.
Tum pariter, ex qua prodis, illustrem Domum
Dignare prono lumine, & quantùm vales
(Valebis autem plurimùm novus Deus)
Manu potente sanguinem agnatum fove.
Das. Fovebo semper Patriam, & patriam Domum.
Inter Deos receptus oris Mysiæ
Aurea reducam sæcla Saturnus novus.
Gageg. Jam pergimus complere consuetum sacrum.
Assurge Dasi: flecte nobiscum genu.
Das. An non Deus sum? genua non flectunt Dii.
Stol. Nondum es; sed eris. *Gag.* Et nec recusant flectere
Dii minores genua majori Deo.
Das. Sit ergo: Soli flecto Saturno genu.
Gag. Favete linguis. Maxime Deorum Parens
Saturne, cujus Numine potenti stetit,
Stabit-

Stabítque porrò Mysia, annuum tibi
Læti tributum ferimus, & præter sacros
Thuris vapores largus offertur cruor.
Non ille tauri pectore effuso fluens,
Agníve collo: victima tibi gratior
En adstat aris: Mysiæ florem tibi
Litamus hoc in parvulo. *Stol.* Dasi, leva
Oculos ad astra, & numini affixos tene.
En! jam appropinquat: audio magni Dei
Currum sonantem. * *Das.* Quid agis? huc! latro! latro!
Avuncule juva! avuncule Nepotem juva!
Bess. Ponas timorem: nullus hic adest latro,
Sed summus Archimysta, qui ferro hoc sacro
Tibi cupiti januam pandet poli.
Redito ad aras. *Gageg.* Vulnus infligam leve,
Levissimum. Nec senties quidem. Veni.
Das. Apage cruente latro! *Gag.* Non alia via est
Ad Divûm honores. *Stol.* Num Deus fieri abnuis?
Gageg. An vis negare sanguinis guttam Deo
Adeò te amanti *Das.* Siccíne? hoc est Dasium
Amare? tam cruentum abominor Deum.

* *Gagegorus exerto cultro parat immolare victimam, quo viso exsilit, & fugit Dasius.*

Popæ

Popæ omnes. Blasphemia! heu! Blasphemia horribilis! *Clearch.* Citò,
Infige cultrum gutturi. Nolens, volens;
Est immolanda victima. *Stol.* Aut cedas mihi.
Ego immolabo. *Gag.* Munus hoc solùm meum est.
Nec approbabunt victimam invitam Dii.
Das. Avuncule! oro, me eripe latronum manu.
Bess. Reducite intra tecta, dum primus pavor
E corde pueri cedat. *Das.* Ad Matris domum
Me ducite. *Bess.* Redux frater hac adhuc die
Secum reducet. Interim cives domum
Redite: dum suspensa repetantur sacra.
At vos * ad aram supplices, læsos Deos
Placate Patriæ. * *Ad Popas.*

SCENA QUARTA.

Bessus. Clearchus. Gagegorus. Stolander.

Clearch. - - - Gratulor ego plurimùm
Summo Poparum. Nempe bellè industria
Tua puerum disposuit, ut lubens Diis
Sese immolaret. *Stol.* Suada tua mirabilis

Tantas tenello in pectore accendit faces,
Ut fronte læta rueret in cultrum puer.
Gag. Ut fronte læta pergeret ad aras puer,
An non ego persuaseram? *Beß*. An prædixeras
Esse moriendum Dasio, antequam Diis
Accederet? *Gageg*. De morte subeunda nihil
Dicere decebat. Gutturi immersus mucro
Non sentientem Dasium subitò Diis
Junxisset: ast ineptia Stolandri omnia
Turbavit hodie. *Stol*. Ineptia mea? *Gag*. Opponere
Velamen oculis victimæ nonne decuit,
Ne sibi minantem cerneret cultrum puer?
Stol. Velamen oculis ponere parabam; moras
* Stupor iste ferre nescius, cultrum sacrum
Nudavit ante tempus, & præceps nimis
Tentavit ictum: hic cœpta turbavit sacra.
Ineptiâ tuâ accidit grande hoc nefas.
Gag. Summo Popæ sic loqueris? insolens pecus!
Stol. Pecus ipse stolidum es. *Beß*. Mittite, oro, jurgia
Indigna mystis: vota potiùs, & preces
Repetite: supplicate Saturno, novas
Vires, animósque victimæ infundat suæ.
Clearch. Tuum est nepotem flectere, ut promptus Diis

* *Denotat Gagegorum*

Vitam

Vitam immolet pro Patria: secus tua
Fama vapulabit pariter, ac in te cadet
Suspicio. Nôsti jam ipsus - * *Bessus solus.*
O famæ ambitus!
Quid non jubes, cogísque! Mysiæ sacra
Adeò cruenta haud approbo: vellem neci
Charum nepotem eripere; sed cogor tamen
Ipsus animare, ut subeat, & promptè, necem.
Ne publicè proclamer impius Deûm
Contemptor, hostis patrii ritûs, sacra
Qui nulla curat. Fama dum poscit mea,
Vitam nepotis immolo invitus licèt.

* *Abit Clearchus.*

ACTUS SECUNDUS



SCENA PRIMA.

Patroclus. Theonas. Dromus.

PAtr. Peracta jam cruenta Saturni sacra
Drome asseris? *Drom.* Præmissus à te celeriter
Urbem subivi: templa jam clausa reperi,
Reducésque turmas civium. Quid ingemis?
Quid inde, si neglexeris tandem sacrum

Itinere impeditus? age, domum subi,
Avidámque Matrem recrea adventu tuo.
Patr. Infausta nimium Mater! *Theon. ad Drom.* An verò omnia
Tibi sat explorata sunt Drome? *Drom.* Omnia,
Dixi, Deorum templa jam clausa reperi,
Reducésque templo civium turmas. *Patr.* Diem
Nimis nefastam! *Theon.* Forsitan in aliam diem
Dilata sunt consueta Saturni sacra.
Interroga alios. *Drom.* Visa sufficiunt mihi.

SCENA SECUNDA.

Personis prioribus accedit Civis.

Theon. ad Civem. Amice dic: num forsan è templo redis?
Civ. Et hoc quid ad te? *Theon.* An sacra Saturni annua
Hodie peracta? *Civ.* Sunt peracta; sed modo
Mirabili. *Patr.* Num victima humana imbuit
Aras cruore? *Civ.* Victima insignis puer
Pompáque solennissima adductus, nepos
Prætoris. *Patr.* Immolatus est? *Civ.* Prætor diu

Nega-

Negabat immolare proprium ſanguinem
(Ut dixit) in nepote; ſed tandem Diis,
Populíque votis ceſſit, & puerum Popis
Conceſſit. *Patr.* Immolatus eſt? *Civ.* Miro modo.
Sed non vacat narrare; me domum vocat
Moribunda conjux.* *Patr.* O Deus! *Drom.* Rurſum gemis?
Age, & Parentis denique aſpectum ſubi.
Nos ſarcinas in littore relictas domum
Portamus, & - *Patr.* Subſiſte: imò ad littora
Redite mecum. Relego transmiſſum mare,
Peregrina regna repeto, terráſque ultimas
Æternus exul ſubeo, dum ſiam procul
Urbe hac nefaſta. *Drom.* Patria excedis iterum
Parente ne quidem ſalutata? pudor!
Patr. Nec urbis, & nec Matris aſpectum fero.
Miſerande frater! *Drom.* Credo, quòd motus maris
Vertiginem creaverit capiti tuo.
Theona, Domino aſſiſte: ego prænuntio
Dominæ Parenti filii adventum. Feram
Inſigne congiarium.

* *Abit Civis.*

SCENA TERTIA.

Patroclus. Theonas.

Patr. - - Ergo victima,
Et victima stygis frater infelix jacet!
O quàm profunda judicia tua ô Deus!
Me tot gravem sceleribus à cultu impio,
Et Dæmonum aris provida avellis manu,
Veræque fidei lumen in plaga extera
Accendis immerenti, & animam parvuli,
Ac innocentis Dasii Dæmonibus
Sinis immolari? *Theon.* Graviter & pectus meum
Sors innocentis Dasii affligit; tamen
Debebimus adorare judicia Dei,
Et gratias referre, quòd saltem tibi,
Mihíque promptam aperuit ad cœlum viam,
Verámque terra in extera indulsit Fidem.
Patr. Ah! unicâ tantùm horulâ citiùs mare
Me reddidisset patriæ urbi, & antequam
Culter Poparum Dasio vitam abstulit!
Ipsas ad aras irruens, pérque cuneos
Populi furentis manibus ereptum Popæ,
Stygíque fratrem innoxium morte propria
Servâssem. At horulâ unicâ dum tardiùs

Adve-

Advenio fratrem perdidi æternùm! *Theon.*
Tua
Hæc culpa non eſt. Litteræ Matris, quibus,
Quòd immolandus Daſius Diis foret,
Eſt nuntiatum, redditæ vixdum tibi,
Remeare mox in Patriam celerrimè
Contendimus: noctes, diésque itineri
Citò proſequendo junximus. *Patr.* Fruſtra tamen
Hæc omnia. Jaces victima, & victima ſtygis
Miſerande Daſi! Jam horreo tecta patria
Imbuta fratris ſanguine. Fugio procul.
Theon. Matri tamen ſolatium - *Patr.* Dixi priùs:
Nec urbis, & nec matris aſpectum fero.

SCENA QUARTA.

Patroclus, Clearchus. Theonas. Comites.

Clearch. Dii ſalutent Patroclum. Quàm in tempore
Te providus reduxit in Patriam Polus!
* Cito moneatur Prætor. Aut potiùs ſtatim.
Mecum ipſe ſubeas tecta Saturno ſacra.
Patr. Sacris peractis templa cur ſubeam?
Clearch. Sacra,

* *Ad unum ex comitibus, qui*

mox discedit. Si nescis, equidem cœpta, sed - *Patr.* Quid sed? *Clearch.* Malè
Abrupta, non absque dedecore vestræ Domûs.
Patr. Abrupta? *Clearch.* Læta fronte se in templo stitit
Plaudente cive Dasius frater tuus:
Jam mysta summus victimam cultro sacro
Parabat immolare, cùm trepidus puer
Aufugit aris. *Patr.* Dasius ab aris fugit?
Et quò? Quid actum denique? an vivens adhuc?
Clearch. Has inter ædes hæret, & cum avunculo
Prætore. Sed jam huc ipsus admovet gradum.

SCENA QUINTA.

Bessus. Clearchus. Theonas.

Bess. O quàm nepotem cupidus amplector! *Patr.* Nepos
Avunculi osculatur illustrem manum.
Bess. Nôstine jam quid Frater - *Clearch.* Ex me jam audiit.
Age jam, tuâ præsentiâ vires novas,
Animósque Dasio adde: fac, templa repetat,
Dísque sese victimam sponte offerat,
Discátque mortem spernere. Dubito nihil,

Ipsi

Ipsi Dii voluêre di'atum sacrum,
Dum frater adventaret, & fratrem pius
Duceret ad aras, móxque jungendum Diis
Amplecteretur ultimùm. *Patr.* Haud dubie Polus
Ita providè dispofuit. Agnosco manum
Semper benigni Numinis. *Bess.* Igitur jam age
Causam Deorum, & propriæ simul Domûs,
Ac sanguinis, cui Dasii Fratris nova
Divinitas creabit æternum decus.
Nec audias, si fortè natura teneros
In sanguinem movebit affectus. Mori
Puerum necesse est, meliùs ut vivat Polo,
Domúsque nostra numeret in suis Deum.
Domato motus cordis exemplo meo.
Patr. Ne plura. Numinis honor, & fratris salus
Sat pectus hoc accendit. Haud fratris modò,
Sed proprium etiam sanguinem cœlo immolo.
Bess. * Admittite hunc; sed cæteros excludite.
Solus loquare Dasio soli. *Clearch.* Intimè
Te diligit. Tu poteris in fratrem omnia.
Patr. Sic spero. Tu Theona jam nostram domum
Accede; quòd non omnium primam redux

* *Ad custodem templi, & ædium*

Matrem ſaluto, ne ægriùs ferat, mone,
Dum cauſa magni Numinis, fratris ſalus,
Bonúmque Patriæ publicum juſtas moras
Injecit. *Theon.* Exequar fidelis omnia.
Scio tamen, contenta non erit Parens,
Si frater ipſe Daſium ad mortem incitet.
Patr. Non audienda Mater eſt, ubi Dei
Vox præcipit contraria. *Theon.* Id dicam tamen,
Saltem aliquod ad ſolamen, ut, ſi quem modum
Scit liberandi Daſium parens, tibi
Per me indicet. *Patr.* Dic, quidquid aptatum putas.
Beſſ. Sic ſpe, licèt fruſtranea alatur ſoror.
Clearch. Spem certiorem ego civibus mœſtis fero.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Patroclus. Daſius.

Patr. Sic eſt, Amate frater: hîc adſum unicè,
Ut te Poparum liberem à cultro impio,
Et à cruento dente Saturni. Metum

Jam

Jam pone. Nunquam victima infelix cades
Ad Dæmonum aras. *Daſ.* Sed quis ille providus,
(Ut aſſeris) meliórque Saturno Deus,
Qui de plagis ab exteris in tempore
Reduxit, ut cruentæ me eriperes neci?
Doce, obſecro, me plura de novo hoc Deo,
Et tam benigno. *Patr.* Non loquor Deum novum;
Æternus eſt, & ſolus eſt verus Deus,
Quem doceo. *Daſ.* Quid? Saturnus an non eſt Deus?
Patr. Figmentum inane eſt, truncus, & ſtipes. *Daſ.* Tamen
Tam ſplendidè me nutriit in his ædibus
Dies triginta: denique ad cœlum quoque
Evehere voluit inter aſtrorum choros.
Sic Prætor ipſe, ſic Populus omnis mihi,
Jam gratulatus aureum in cœlis thronum.
Patr. Condoleo cœcæ Myſiæ. Nuper quidem
Et ipſe cœcus credidi haſce fabulas,
Dum tandem in oris exteris lumen novum
Licèt immerenti verus indulſit Deus.
Fraudes Poparum denique agnovi. *Daſ.* Popis
Nec ipſe quidquam credo: cognovi ſatis,

Quòd

Quòd ſint latrones. Gutturi cultrum impium
Jam jam admovebant. *Patr.* Victima infelix ſtygis
Daſi jaceres, provida niſi Numinis,
Quod prædico, te dextera adventu meo
Servâſſet. *Daſ.* Hêu! quid dicis? Ego victima ſtygis?
Patr. Quales Dii ſunt, quotquot infelix colit,
Et luſa miſerè Myſia. *Daſ.* At ſic non queo
Divinitatem conſequi, ſi unus Deus
Tantùm eſt in orbe. *Patr.* Conſequi frater potes
Felicitatem maximam, & fieri quoque
Divinitatis particeps, ſi uni Deo
Servire vis. *Daſ.* Et quomodo?

SCENA SECUNDA.

Patroclus. Daſius. Gagegorus.

Gageg. - - - - - - Grator mihi
Diisque lætum Patrocli adventum. *Daſ.* Latro!
Latro! juvato frater! *Patr. ad Gag.* Oro, paululùm
Recede: cernis territum puerum. brevì
Adibo ſummum Antiſtitem in domo ſua.

Gag.

Gag. solus. Latro! latro: sic mysta summus sit latro?
Saturne! talem victimam an adhucdum petis?
Locetur aris impudens adeò puer?

SCENA TERTIA.

Gagegorus. Stolander.

Stol. Gagegore curre: nescio quis ædem sacram
Subitus tumultus occupet. Timeo eloqui.
Tremiscit ara: terra concutitur: vapor,
Fumúsque prodit ore Saturni teter.
Gag. Gagegore curre! cui loqueris? an me negas
Esse Archimystam? *Stol.* Si Archimysta sis, tuum
Exequere munus: mitiga iratos Deos.
Gag. Soli tibi minantur irati Dii,
Qui tam sacrum, summúmque mystarum caput
Es ausus incusare, & indignis priùs
Lacerare probris: quin & insuper modò
Ore impudenti ùt simplicem alloqueris Popam.
Stol. Soli tibi minantur irati Dii.
Tua his ineptia victimam optatam eripit,
Dum terruisti Dasium cultro tuo.

Gag.

Gag. Saturne ! nondum fulminas? *Stol.* Caput tuum,
Si fulminabit, tela Saturni petent.
Gag. Furore rumpor. *Stol*. Rumpere : est damnum leve.
Mox archimysta dignior te aris Dei
Succedet. *Gag*. Archimysta dignior me? *Stol.* Ego.
Gag. Vel cede, vel mox gutturi infigam tuo
* Cultrum sacratum. * *Stol.* Pariter est culter mihi.
Congredere, si audes.

* Ex- ierunt suos cultros Popæ.

SCENA QUARTA.

Accedit Beryllus.

Beryll. Quò furor subitò rapit
Mystas verendos? *Gag*. Testor Acherontis lacum,
Ditisque nigra flumina: omnes inferi
In mille frusta corpus hoc lacerent, nisi
Injuriam hanc cruore vindicem tuo.

SCENA

SCENA QUINTA.

Beryllus. Stolander.

Audis Berylle talia absque ſcandalo?
Et hic ſit Archimyſta? referas, obſecro,
Tuo hæc Parenti, & urgeas, tanto gradu
Dejiciat indigniſſimam iſtam beſtiam.
Beryll. Succedere huic in munere exoptas?
Stol. Quia
Me digniorem in Myſia nullum ſcio.
Doctiſſimus, piiſſimus ubique audio.
Beryll. Eſſe Archimyſta poteris, ad id operam meam
Promitto, ſi me pariter efficias Deum.
Stol. Ego Deos creare? *Beryll.* Nunquid Daſium
Deum creare voluit æmulus tuus?
Stol. Quia Daſium Saturnus elegit ſibi,
Ut inter aſtra poneret puerum. *Beryll.* Minus
Ego dignus aſtris videor? an fors Daſio
Beryllus audit ſanguine, aut formâ minor?
Stol. Utroque præſtas. Candidè fateor, ſi ego
Saturnus eſſem, mille præ pueris mihi
Unum Beryllum expoſcerem. Tu corculum
Meum fores. Imò præ amore millies
Te

Te devorarem. At victimam talem Pater
Mihi negaret. *Beryll.* Filium cernere Deum,
Et inter astra splendidum nolit Parens?
Tamen nepotem Dasium cessit Diis.
Stol. Multùm nepote charior natus Patri est.
Vivum videre filium mavult Parens.
Beryll. Quid dicis? An nostri ergo non vivunt Dii?
Stol. Vivunt in astris. Filium verò Parens
Præsens sibi solamen in terris cupit.
Beryll. Parentis ad solamen in terras quoque
Descendere subin potero, si fuero Deus.
Age ergo, si me diligis, vel si gradum
Summi Popæ ambis, Dasii loco Deum
Crea Beryllum, aut impedi saltem, ut potes,
Ne Dasius stet Mysiæ in templis Deus.
Stol. Cur hoc? suámne Dasio sortem invides?
Beryll. Egóne adorem puerum? in astris fulgeat
Dasius, humi repat Beryllus filius
Prætoris? Archimysta si fieri cupis
Me promovente, prohibeas tantum nefas.
Stol. Prohibere ab aris Dasium tandem, ùt puto,

Tanti

Tanti laboris non erit: dum ipſe abnuit
Diis immolari victima timidus puer.
Beryll. Hoc audii. Hinc me victimam illius loco
Spontaneam, promptámque Saturno offero.
Stol. Scis, quid ſit eſſe victimam? cultrum haud times?
Beryll. Cultrum? quis ille? *Stol.* Daſium qui terruit.
Beryll. Mihi major animus. Pectus hoc timet nihil,
Niſi parentis ferula obarmatam manum.
Stol. Occurrit aliquid: Daſii nuper parens
Tentavit (& quàm pœnitet, quòd reſtiterim
Tentationi) Daſii me, inquam, parens
Tentavit auro plurimo. Ut natum ſuum
Subducerem his ex ædibus. Sed quis -

SCENA SEXTA.

Stolander. Beryllus. Theonas.

Theon. - - - - Jubet
Salvum Stolandrum ſervus. *Stol.* O quàm gaudeo
Reducem videre! Quid novi tandem exteris
Affers ab oris. *Theon.* Litteras ad te daras.

Stol. Et unde, quæso? *Theon.* Noveris, credo, manum.
Stol. Tentatio est, tentatio; sed in tempore.
A matre nunquid Dasii missus venis?
Theon. Ad Patroclum sum missus. An aditus patet?
Stol. Faciam, patescat; sed priùs mecum veni.
Jam scio, quid hisce Dasii poscat parens.
Tentationi non potero resistere.
Berylle sequere pariter, & si operam mihi
Locaveris, eris Dasii loco Deus.
Beryll. Habes paratum, dummodo efficias Deum.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Patroclus. Dasius. Theonas.

THeon. Anne dubitatis fugere? *Patr.* Fidamus Popæ?
Stolander ipse victimam Diis suis
Eripere tentet seriò, & fugæ locum,
Modúmque pandat? *Theon.* Jam diu novi virum.
Auri tenax Stolander, & cupidus nimis
Vel

Vel pro unico omnes venderet nummo
Deos.
Totum ære mater traxit in partes ſuas.
Audebit omnia. *Daſ.* Ergo jam mater
quoque
Falſa arguit, damnátque Saturni ſacra?
Theon. Nondum quidem ejuravit impios
Deos;
Tamen immolare filium his conſtans ne-
gat.
Ergo moras abrumpite, adduco Popam,
Simul & Beryllum. Veſte mutata in-
vicem
Exibit inde Daſius Popa duce:
Nam Patroclo hinc exire, dum lubet,
licet.
Daſ. Mei loco Beryllus his in ædibus
Manebit? an ſub veſte latitantem mea
Non noſcet Archimyſta? *Theon.* Noſcet,
ſed nimìs
Serò. *Daſ.* Tamen furore ſuccenſus novo,
Suisque manibus victimam ereptam do-
lens
Pro me Beryllum ad impias aras trahet,
Et immolabit. Nolo, frater, ſanguine
Pueri innocentis ſanguinem redimi meum.
Theon. Nihil Beryllus metuat inſanos
Popas.
Tutabitur ſat filium Prætor parens,
Quo conſcio, quem ſtruimus, innocens
dolus

Instruitur. *Patr.* Ergo conscium credis
doli
Patrem Berylli? *Theon.* Haud ambigo,
Ipsus filio
Suggessit hæc consilia. Saltem non erit
Invitus adeò, si nepos cultrum Popæ
Evadat. *Das.* Ipsus tamen ad aras impias
Duci nepotem jussit. *Patr.* Et vix obvium,
Reducêmque me, quàm hortatus est,
ut Dasium
Deorum ab aris profugum reducerem?
Theon. Politicus est avunculus. Nôsti satìs;
Placere quærit civibus plùs, quàm Diis.
Quod egit hodie Prætor, id, mihi credite,
Non Divûm honori, at civium votis dedit,
Famæque propriæ. Repeto: Prætor
non erit
Invitus adeò, si necem evadat nepos.
Das. Quid ergo demum, frater agitandum putas?
Fugiamus? *Patr.* Edic frater, an mortem times?
Das. Timui. priusquam filium Dei quoque
Subiisse mortem, & sponte propter me
audii.
Patr. Si fortè deprehensus in fuga à Popis

Ad

Ad templa vi retraheris, audebis palam
Aras Deorum ſpernere, & in aris Deos?
Daſ. Ad Dœmonum delubra me nulla poterit
Mortalium vis trahere. Deteſtor Deos
Coram orbe toto. Metuo jam, frater, nihil.
Quin opto, quondam poſſe pro Chriſto mori
Amore noſtrûm mortuo. *Theon.* Stupeo fidem
Tantam in tenello pectore intra tam breve
Unius horæ tempus accenſam. *Patr.* Novum
In lege Chriſti neutiquam hoc miraculum.
Spiritus, ubi vult, ſpirat, & manus Dei
Quæcunque vult efficere, momento efficit,
In innocenti corde præſertim. Fides
Donum eſt ſupremi Numinis. *Theon.* At hac in fide
Ut inſtruatur pleniùs frater, procul,
Citóque fugiat. Exteras rurſum plagas
Adimus. Hic inſtructus, & demum ſacro
Fonte abluendus Daſius liber Deo
Servire tecum poterit. *Patr.* Admones bene.
Sacro abluendus fonte frater es. Fugam
Hæc prima ſuadet cauſa. Mox Popæ loquar,

Simul & Beryllo. Tu interim ad matrem redi.
Parata cuncta teneat ad celerem fugam,
Aut ad latebras. Interim, ut ut res cadant,
Secura sit de Dasio, nunquam cadet
Diis nefandis victima. *Das.* O Mater utinam
Cognosceret cum filiis verum Deum!
Theon. Sperate: justa vota complebit Polus.

SCENA SECUNDA.

Gagegorus. Dromus. Duo milites custodes.

Drom. ad Gag. Hic ipse, qui nunc exit inde, Patrocli
Libertus est, de quo tibi. *Gageg.* Miles! *Mil. 1.* Quis hîc?
Hostis, an amicus? *Gag.* Qui modò hinc exiit homo,
Unde venit? *Mil 2.* Inde. *Gag.* Ex Dasii cubiculo?
Et quomodo huc intravit? *Mil. 1.* Ut credo, pedibus.
Gag. Stupor! Quis aditum aperuit? hoc quæro. *Mil. 2.* Popa,
Nescio quis, hominem jussit admitti. *Gag.* Popa

Hoc

Hoc jussit? & vos simplicis tantùm Popæ
Petita plùs, quàm jussa Prætoris, sequi?
An non prohibitum neminem, nisi Patroclum
Ad Dasii cubiculum admitti? stygem
Juro, lueris jussa neglecta improbi.
Saltem modò servate majori fide
Postes cubilis: neminem, ajo, neminem
Admittite huc, ni terga plagis livida
Velitis, aut pendere ab infami cruce.
Mil. 1. Sed si Poparum quispiam admitti petat?
Gag. Excludite: & si venerint centum Popæ,
Excludite omnes absque respectu Popas.
Sic Mysta summus mandat, & Prætor simul.

SCENA TERTIA.

Gagegorus. Dromus.

Gag. Tua dicta confirmantur. *Drom.* Ambigui nihil
Tibi retuli: doli struuntur; victimam
Eripere vestris manibus, & certæ neci
Qua possit arte, Dasii tentat parens.
Gag. Hoc credo facilè. Fœminam novi. Diis

Addicta quamvìs plurimùm, natum tamen
Semper negavit victimam aris cedere.
Sed Patroclus num vota matris tam impia
Ipse adjuvabit? *Drom.* Diligit fratrem, scio,
Tenerrimè. *Gag.* Sed ampliùs Deos amat,
Timétque. *Drom.* Quondam forsitan amavit Deos,
Timuítque; sed postquam exteras adiit plagas,
Nescio quid animum Patrocli à patriis Diis
Avertit, &, quem nescio, novum Deum
Præ Marte nostro, præque Saturno colit.
Gag. Horrore pectus concutis. Novum Deum
Præ Marte nostro, præque Saturno colat?
Drom. Hæc clariùs, si vellet, exponere tibi
Libertus ille posset. Arcana omnia
Soli huic herus committit. Ego, quidquid scio,
Tibi fidelis prodidi. *Gag.* Grates tibi
Nomine Deorum dicimus. *Drom.* Aliud nihil?
Gag. Sperare congiarium pingue poteris
Sacris peractis. Vade, si plura interim,
Et clariora rescieris, nobis refer.

SCENA

SCENA QUARTA.

Gagegorus solus.

Jam capio, quid concussa templa, quid vapor
Emissus irato ore Saturni velit:
Dii timetis Patrocli, & Matris dolos.
Sed jam timorem excutite. Pro vobis, Dii,
Stat Mysta summus: Numina hic vestra impigrè
Defendet. Agedum munus impleo meum.
Sed cautè agendum. Patroclus cum Dasio
Quid intus agitet, quid loquatur, clanculum
Ausculto. Faveant Numina. * Heu! quid audio!
Nunc execrare denuo fictos Deos,
Truncos inanes, stipites, partum stygis.
Hæc Patroclus, & ad Dasium? blasphemiam
Novam audio. *Saturnus, & Apollo mera*
Figmenta sunt, prognata malesano nimis
Cerebro Poparum. Cernis hic verum Deum,
Unúmque, Christum filium vivi Dei.
Horresco plura audire. Prætorem illico
Accedo, moneo. Sed tamen plura juverit

* *Gagegorus aurem applicat januæ cubiculi, & audita repetit.*

Audire, quid ad hæc Dasius respondeat.
Iterum auscultat. * *Exosculor sacra vulnera hæc. Totum tibi Me Christe* - Non me teneo. Deprênsum scelus
Est in flagranti. Irrumpo.

SCENA QUINTA.

Gagegorus. Duo milites custodes.

Mil. 1. - - - Siste: neminem
Ad hoc cubile admittimus. *Gag.* Summum Popam
Arcere vos à limine hoc? *Mil.* 2. Centum Popæ
Si venerint, excludimus centum Popas.
Sic Mysta summus mandat, & Prætor simul.
Gag. Hic Mysta summus nunquid ipsus sum ego? *Mil.* 1. Tua
Hinc jussa sequimur promptiùs. *Gageg.* Num ludere
Audetis? hinc recedite, aut vestra capita
Devoveo diris omnibus. *Mil.* 2. Diras tuas
Minùs timemus, quàm trabem infamem crucis.
Gag. Respicite, quis sim: nempe sum summus Popa.
Mil. 2. Prohibemus omnes absque respectu Popas.

Sic

Sic Archimysta mandat, & Prætor simul.
Gag. Vah insolentes! cedite: aut, juro stygem,
Evoco Deorum fulmina in vestrum caput.
Mil. 1. Nos milites jurare pariter possumus,
Et evocare fulmina in caput tuum.
Mil. 2. Incipe: sequemur strenuè. Videbimus,
Quis meliùs, aut diutiùs tandem queat
Jurare, fulminare, Miles, an Popa.
Gageg. Saturne causam vindica tuam! ruat
Ab axe fulmen. *Milit. duo.* Fulmen emissum Popam
Omnes tres. Feriat! *Gag.* Stygíque mergat!
Mil. duo. Et mersum stygi -
Gag. Ter centies - *Milit. duo.* Ter millies -
Gag. Imum ad lacum
Acherontis - *Milit. duo.* Infra, infra infimum Acherontis lacum -
Gag. Et ad profundum - *Milit.* Infra profundum. *Omnes tres.* Tartari -
Gag. Et usque ad undas Tantali - *Milit.* Infra Tantalum
Gag. Sex centies - *Milit.* Sex millies -

SCENA SEXTA.

Accedit Patroclus.

Patr. - - - Quis ad fores

Tumul-

Tumultus? Archimysta sic furat? *Gag.*
Furor
* *Abit* Hic vestra feriet capita. Prætorem peto. *.
Gagegorus. *Mil.* 1. Victoria ! Jo ! Victoria ! En I-
hostis fugit.
Patr. Quæ pugna vobis? cur furit adeò
Popa ?
Mil. 2. In Dasii conclave tentavit ferox
Irrumpere, prohibuimus. *Patr.* Est factum bene.
Sed filium Prætoris, obsecro, modò
Admittite huc, & interim hæc absumite
* *Patroclus pecunias dat militibus.* In sanitatem Dasii * *Mil.* 1. Prætor quidem
Prohibuit; ast in gratiam tuam tamen
Vocabimus. *Mil.* 2. Quin imò jam star ad fores.
Veni Berylle: petitur alloquium tuum.

SCENA SEPTIMA.

Patroclus. Beryllus.

Beryll. Agnate, quid moraris, aut deliberas ?
An Dasium vis cogere invitum Diis
Accedere? sine, suppleam illius vices.
Hoc ipsa Mater vestra suadet, & rogat.
Patr. Idémne suadet pariter & parens tuus ?
An conscius moliminis Prætor tui?

Beryll.

Beryll. Sit conscius, vel nescius, parùm intereſt.
Nec poterit improbare factum tam pium.
Ubi frater? ipsi colloquar, sinas, rogo.

SCENA OCTAVA.

Patroclus. Beryllus. Dasius.

Beryll. Te laudo, Dasi, & approbo timorem tuum.
Das. Qualem timorem? *Beryll.* Nónne Saturni à sinu,
Arísque te, quis nescio, retraxit pavor?
Das. Fateor, pavore pectus emotum priùs.
Nunc animus eſt intrepidus, ad centum neces
Paratus. *Beryll.* Ergo ad templa Saturni paras
Redire? *Das.* Curo templa Saturni parùm.
Beryll. Gaudeo: bene facis. Potiùs ad matrem redi.
Ego interim hìc manebo, ne quis sentiat
Hinc te aufugisse. * Jam induas togam meam,
Et capitis ornamenta, queîs tectum satìs
Te nemo noscet. *Das.* Fugio, non mortis metu,
Sed edocendus semitam ad cœlum novam.

* *Dasius & Beryllus vestes mutant.*

Nónne

Nónne fugiendum frater? *Patr.* Hoc unum priùs
Berylle dic, & candidè: Quis hunc tibi
Injecit animum? *Beryll.* Candidè dicam: Popa
Stolander. *Patr.* Et cur? *Beryll.* Nempe sic fiam Deus,
Impostus aræ, & astra conculcans pede.
Das. Berylle! quantùm - -

SCENA NONA.

Accedit Gagegorus cum militibus, & Decurione &c.

Gag. - - - Hìc est scelus. Comprêndite.
Patr. Quid ista? quis mihi vincla? *Decur.* Quod Prætor jubet,
Id nos oportet exequi, invitos licèt.
Patr. In vincula dari Patroclum Prætor jubet?
Gag. Abducite. *Patr.* Et cur? *Gag.* Audies. *Das.* Frater! mihi
Eriperis hac in ultima hora? *Patr.* Te Deo,
Quem colimus, audax immola. Fontem cruor
Supplere poterit. Dicta sat capis mea.
Gag. ad Das. Nolis, velísne, victima hac cades die.
At quid Beryllus hac in æde? quid toga
De-

Detracta? *Beryll.* Juro, facinus hoc, juro, lues.

Gageg. solus. Jam plaudite, atque applaudite Patrii Dii

Vestro Archimystæ. Industria mea depulit,
Quæ tela fraus cudebat in vestrum caput.
Quantas mihi debebis hodierna die
Saturne grates! prœmium quantum dabis,
Cùm Dasium tuum improbi fratris dolo,
Et arte vix non penitus ereptum Diis
Reducam ad aras victimam optatam tibi?

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Bessus. Clearchus. Dasius.

BEss. Et ista Dasi seriò? *Das.* Hoc unum rogo:

Fac populus omnis confluat. *Clearch.* Ad aras Dei

Saturni? *Das.* Ad ista templa, ubi ruptum priùs

Meo pavore implebitur tandem sacrum.
Et victima cadet Dasius spontanea,

Et læta. *Bess.* Quæ mutatio hæc? *Das.* Dextræ Dei

Potentis; hanc ut tota demum Mysia

Agno-

Agnoſcat in me, repeto: fac ut confluat
Urbs tota, mox viſura, quid etiam puer
Audeat amore Numinis tam amabilis.
Clearch. Tandem incipis noviſſe, quàm ſit amabilis
Saturnus? *Daſ.* Hoc à fratre ſum doctus modò.
Beſſ. A fratre? *Clearch.* Patroclo? *Daſ.* Modò, ùt dixi. Popæ
Plurima equidem de amore Saturni mihi
Garrire dudum cœperant; fruſtra tamen.
Sed ſuada fratris melior, & major Polo
Delapſa lux in pectus hoc, nova face
Accendit animos. Quæ priùs adeò horrui,
Suſpiro nunc, & templa Saturni peto.
Clearch. Ergo Gagegorus fraude Prætorem impia
Deluſit? innocuum nepotem vinculis
Avunculus oneravit? *Daſ.* Innocuus, mihi
Credas, ab omni crimine eſt frater. Reduc
Mecum has ad aras Patroclum, fient palam
Fraudes Poparum. *Beſſ.* Juro, Gagegorus luet.
Clearch. Ad templa tota civitas mox confluet.
Tu, quos dedêre Numina tibi ſpiritus,
Ipſas ad aras fortis, & conſtans tene.
Nec

Nec metue cultrum. *Das.* Dum fruar tanto Deo,
Qui sic amavit Dasium, timeo nihil
Cultros, & enses: provoco Poparum manus.

SCENA SECUNDA.

Bessus. Clearchus.

Clearch. Mutatio mira nimiùm, non Patroclo
Soli, licèt sit frater in fratrem potens,
Tribuenda; magnis competit tantum Diis
Vis tanta in animos. *Bess.* Fateor, hoc opus est opus
Divinitatis. *Clearch.* Patroclo debet tamen
Quàm plurimùm tota patria.

SCENA TERTIA.

Bessus. Clearchus. Theonas.

Theon. - - - - Illustrissime!
Liceat sororis nomine rogare unicum.
Num Patroclus custodiæ fuit datus
Prætore sic mandante? *Bess.* Mandati piget,
Pudétque. Liber Patroclus, nec innocens
Tantùm, sed etiam gloriosus, optimè

De patria omni meritus hîc ſtabit palam.
Clearche, noſtro nomine accede Patroclum,
Et deprecare injuriam illatam. Luet,
Per ſumma juro Numina, impoſtor Popa.
Clearch. An huc reducam ad Daſium? an fors illico
Ad templa? nam mox dabitur initium ſacris.
Theon. Sacris initium dabitur? *Clearch.* Urget Daſius,
Properátque citus ad aſtra Saturnum ſequi.
Theon. Non horret hæc delubra? *Clearch.* Priùs exhorruit;
Sed nunc ſubire geſtit impatiens moræ.
Beſſ. * Hæc ergo pariter Patroclus ſubeat, mone.
At tu * parenti liberum vinclis refer,
Et innocentem Patroclum. Natum alterum
Jam prompta patriis victimam cedat Diis.
Theon. Liceat priùs hero Patroclo paucis loqui.
Beſſ. Ergo Clearchum ſequere. *Theon. tacitè.* Quid credam, ô Deus!

* Ad Clearch.

* Ad Theonam.

SCENA

SCENA QUARTA.

Bessus solus.

Non ſat tamen percipio, quid quærat Popa
Mendaciis, cur Patroclo tantum ſcelus
Affingat. An delirat? an per ſomnium
Quod vidit, enarravit ùt verum mihi?
Certè graviter hac luce proſtituit meam
Authoritatem. In vincula nepotem dedi
Avunculus, & in vincula quidem publica,
De perpetrato ſcelere ne auditum quidem.
Sic fama noſtra vapulet ob Popæ unius
Inſaniam? Satellites. Satellites.

SCENA QUINTA.

Bessus. Beryllus. Stolander. Prætoriani.

Beryll. Verende Genitor, habeo, quod graviter querar:
Nempe Gagegorus - *Beſſ.* Nomen inviſum preme
Hominis doloſi. Huc ocyùs Popam impium
Vocate. *Stol.* Prodit ipſus en! tibi obvius.

SCENA SEXTA.

Perſonis prioribus accedit Gagegorus.

Gag. Prætor verende- *Beſſ.* Impoſtor ex-
ecrande! ſed
Jam parco probris. gravior exſpectat
ſcelus
Infame pœna. Ad carceres lictor trahe
Caput nefandum. *Gag.* Ad carceres? quis
in virum,
Summum ſacrorum Antiſtitem hæc audet?
Beſſ. Gradu hoc
Indignus, & dejectus huic * cedas locum, *(* Stolandrum denotat.)*
Et dignitatem Antiſtitis ſummi. *Gag.* Quid?
huic?
Beſſ. Detrahite mitram, dignius ut ornet
caput.
Gag: Saturne! Apollo! Marſpiter! ve-
ſtrum Popam
Defendite. Polus fulmina! feri! tona!
Beryll. Fruſtra furis. *Beſſ.* Jam inſignia
ſacri muneris
Authoritate publica impono tibi. * *(* Ad Stolandrum.)*
Stol. Conſentio. Jam ſummus Antiſtes
Popam
Hunc ſimplicem * declaro perſonæ ſacræ *(* Gagegorum.)*
Cunctis privatum juribus. Sceleris reum
Manibus profanis trado mulctandum, ut
decet,

Præ-

Prætórque ſtatuet. *Beſſ.* Trahite quo juſſi modò.
Gag. Saturne nullum fulmen an tibi ſuper?
Stol. & Beryll. Ad carceres, ad carceres. *Satellites.* ad carceres. * *Abripitur Gagegorus.*
Stol. Sic Archimyſta mandat, & Prætor ſimul,
Cui gratias pro munere novo plurimas
Reddit Stolander. *Beſſ.* Tu modò Antiſtes nove
Adduc ad aras victimam. Evocet tuba
Ad templa cives. *Stol.* Induo veſtes ſacras,
Mox adfuturus. *Beryll.* Gratulor munus tibi
Diu cupitum. *Stol.* Debeo hoc tibi. Memor
Reddam vices, Berylle, dum ſtabis brevì
Conſentiente patre ſub cultro meo.

SCENA SEPTIMA.

Beſſus. Beryllus.

Beſſ. Quid iſta? quid de patris aſſenſu? *Beryll.* Novus
Jam Myſta pariter victimam quærit novam.
Cùm Daſius recuſat accedere Diis,
Faciet Beryllum Daſii loco Deum,
Conſentiente patre. *Beſſ.* Mitte nœnias

 Has

Has nate. *Beryll.* Dicis nœnias, fieri Deum?
Beſſ. Divinitatis particeps alio modo,
Et tempore alio nate fors eris. Interim
Saturnus unum Daſium expoſcit ſibi.
Beryll. At Daſius recuſat. *Beſſ.* Imò ardet citò
Conſtringere inter aſtra Saturnum ſuum.
Beryll. Deus ergo fiet Daſius, & ego puerum
Supplex adorem? genitor, hæc nequeo pati.
Beſſ. Noli invidere Daſio hanc ſortem. Domum
Matrémque repete. Jubeo - - non obedies?
Beryll. Obedio. Sed - * *Beſſus ſolus.* Filii ambitio placet;
Sed immolare filium haud placet. Diis
Ægrè nepotem cedo; ſed ratio ſtatûs
Sic exigit. Ut obtemperent cives mihi,
Obtemperandum civium votis, licèt
Non rarò iniquis.

* *Abit.*

SCENA OCTAVA.

Beſſus. Clearchus.

Clearch. - - Patroclus jam vinculis
Solutus eſt. *Beſſ.* Cur templa non tecum ſub it?
Clearch. Brevì ſequetur. Pauca, quæ ſervo priùs

Com-

Committat, habet. *Beff.* Avunculo ignoſcere poteſt
Injuriam? *Clearch.* Ut videtur, injuria parùm
Commovit animum Patrocli. Aliud quidpiam
Perturbat. *Beff.* Et quid? *Clearch.* Neſcio. Quando monui,
Ut mox ſubiret templa Saturni, moras
Non ferre pectus Daſii ardeſcens nimis,
Properare ad aras victimam, & ſuum Diis
Offerre ſponte ſanguinem, expalleſcere
Toto ore viſus Patroclus: ſtuduit quidem
Celare frontem, ſed tamen ſuſpiria
Sat prodidêre, quòd premat pectus dolor,
Dolórque vehemens. *Beff.* Neutiquam miror: movet
Se ſanguis, & natura, dum fratrem unicè
Charum cruenta morte tollendum videt.
Horreſco pariter cernere nepotem neci
Jam proximum; ſed vinco naturæ impetum,
Tenerósque motus ſanguinis libo Diis,
Bonóque patriæ. Faciet & idem Patroclus,
Quin imò jam jam fecit, & fratrem ipſemet
Potiſſimùm commovit, ut ſemet Diis
In victimam ſpontaneam tandem daret.
Clearch. Demus igitur ſacris initia. Jam ſcatent

Populo referta templa. *Beſſ.* Nihil in me
moræ eſt.
Clearch. En! jam propinquat victima. ſpatium date.

SCENA NONA.

Beſſus. Clearchus. Daſius. Stolander. Popæ. Cives. Prætoriani &c.

Daſ. Adeſte Cives Myſiæ, & quotquot
mei
Teſtes pavoris antea his in ædibus
Steriſtis, adſum denuo, errorem meum
Reparabo. Priùs exhorrui cultrum puer:
Natura nempe ſola tunc rexit animum
Divinitatis inſcium: quàm ſit potens,
Quàm ſuave Numen, quod beare Daſium
Tanto favore voluit, & ſecum cupit
Regnare in aſtris, neutiquam agnovi priùs.
Serus, tamen jam ſeriò totus animus
Amore miro conflagrat tanti Dei,
Qui Daſium ſic diligit, præ tot aliis
Tot è tenebris erutum ad cœlum vocat,
Et præ tot aliis victimam elegit ſibi.
Stol. Stupete cives. Gratulamini Diis.
Popæ omnes. O fortis, ô miranda Saturni
manus!
Populus omnis. Miraculum! miraculum!
Daſ Eſt miraculum,
Fatebor ipſus. Numinis potentiam
Hinc

Hinc disce chara Mysia: timidus puer
Cultros, & enses provoco. Cruorem lubens
Istas ad aras immolo Deo.

SCENA DECIMA.

Personis prioribus accedit Beryllus.

Beryll. - - - Procul
Hinc cede Dasi. Aras Beryllus occupet,
Te melior inter astra Saturno comes
Futurus. Archimysta promissum impleas:
Crea Beryllum Mysiæ novum Deum.
Bess. Iterúmne nate insanis? *Stol.* Invito patre
Nil audet Archimysta. *Beryll.* Dasii parens
Quid exigat, quo præmio te - *Stol.* Jam modò
Sum Mysta summus, Dasii matrem nihil
Curo ampliùs. *Das.* Rectè Stolander; nam Deo
Plùs quàm parenti obediendum. *Stol.* Absque dubio.
Das. Nec te Berylle ad astra Saturnus vocat.
Me me sibi hodie victimam poscit Deus.
Bess. Ita est recede. *Beryll.* Sícne me spernunt Dii?
Ego ergo pariter sperno spernentes Deo.

Popæ omnes. Blasphemia! heu! blasphemia. *Beſſ.* Ignoſce puero,
Quod loquitur haud intelligit. * Domum citò
Reducite, flagris impiam vocem luet.

Clearch. ad Daſ. Tu jam, priusquam victima occumbas, thronum
Hunc occupa, & referenda Saturno excipe
Vota patriæ totius, & quæ - *Daſ.* Patriæ,
Domûsque patriæ vota jam excepi priùs.
Promitto, quod promiſeram, rurſus; memor
Etiam inter aſtra Daſius patriæ ſuæ
Semper erit, & pro patria Numen quoque,
Cujus amore victima occumbet hodie,
Precibus fatigans, Myſiæ lucem novam,
Et ſæcla poſcet aureis quoque ſæculis
Meliora. *Stol.* Flectas igitur hìc Daſi genu;
Priùs tamen, velamen hoc, patere, oculis
Pro more, ut imponatur. *Daſ.* Apage, Nil opus
Velamine eſt; non horreo cultrum ampliùs,
Vel mille corde interrito excipiam neces,
Popæ omnes. O fortis! ô miranda Saturni manus!
Stol. Generoſe nimiùm -

* *Ad milites Abducitur Beryllus.*

SCENA

SCENA ULTIMA.

Personis prioribus accedit Patroclus.

Patr. - - Siste! Prætor, da ultimùm,
Paulùm remotis arbitris, fratri loquar,
Et vota pandam occulta, quæ pro me polo
Supplex futurus deferat. *Das.* Frater, scio
Jam vota tua. Complebo. Ne injice moras
Properanti ad astra. *Patr.* Verbulum, quæso, unicum.
Memento - *Das.* Memini jam sat. Haud unquam immemor
Fratris ero. *Patr.* Sed, quæ dixeram tibi, tam citò
Excludis animo? *Das.* Teneo. Nunc sine, impleam,
Quod ardor animi Numine agitati imperat,
Ut digna cœlo victima, & coram Deo
His stante in aris occidam - *Patr. tacitè.* Dicis Deum
Saturnum? *Das.* Ut, inquam, victima, & coram Deo
His stante in aris occidam, sinite, dum adhuc
Vivo, decenti more Saturnum colam,
Habeámque honores debitos tali Deo.

Stol.

Beß. Siſtite! peribit, juro, ſed nece, ut decet,
Atrociore. Jam abripe Satelles, foro
In publico carnificis infami manu
Palo alligatus ardeat lento rogo
Exuſtus, & per mille ſparſo vulnera
Cruore placet Myſiæ offenſos Deos.
Clearch. Ita eſt. Trahatur ad rogum. *Popul.* Ad rogum, ad rogum.
Patr. Hoc eſt, quod opto. Daſium ad cœlos ſequor.
Fratrum duorum ſanguinem Chriſte accipe,
Et Myſiæ placatus aurea ſæcula,
Veræque fidei denique indulge jubar.
Beß. Abripite. Triſtem Myſiæ Diis diem!
Patr. Sed glorioſam plurimùm vero Deo.

O. A. M. D. G.



PICUS
MIRANDULANUS,
PHOENIX
MARIANUS.

ARGUMENTUM.

JOannes Picus Mirandulæ Comes, ævo ſuo dictus Phœnix Ingeniorum, quòd ſimilem ſibi non haberet, Elegiaco carmine amores luſerat, quos quinque libris exaratos religionis causâ ignibus tradidit. *In ejus vita à Franciſco Pico conſcripta, & Joannis operibus præfixa.*

PER-

PERSONÆ.

Picus, *Mirandulæ Comes.*

Alvarus de Phœnice, *Pici affinis.*

Florimontius, *Aulicus Ferrarienſis.*

Baſſus, *Canonicus Florentinus Pico familiaris.*

Charylaus, *Pici Ephebus.*

Dromus, *Pediſſequus.*

PRO-

PROLOGUS

Personæ. Amor Profanus. Amor Marianus.

Scena exhibet Bibliothecam Pici Mirandulani.

Amor prof. solus. Bella hæc Bibliotheca!
Latina, & Græca.
* Tibullus, Pindarus,
Naso, Propertius.
Libri omnes ad Sæculi mores
Spirant Venerem, docent amores.

* *Lustrat librorum titulos.*

* Sed quale in hoc pulpito manuscriptum video?

* *In media mensula expositum manuscriptum.*

Legit. *Cupido Triumphans. Authore Pico Mirandulano comite.*

Jo! triumpho! etiam illustres pennæ Cupidinem evehunt.

Et ô quàm bellè Picus hic canit!

Non ita tenerè
Turtur scit gemere,
Dum sine compare
Cava sub arbore suspirat.

De patria omni meritus hîc ſtabit palam,
Clearche, noſtro nomine accede Patroclum,
Et deprecare injuriam illatam. Luet,
Per ſumma juro Numina, impoſtor Popa.
Clearch. An huc reducam ad Daſium? an fors illico
Ad templa? nam mox dabitur initium ſacris.
Theon. Sacris initium dabitur? *Clearch.* Urget Daſius,
Properátque citus ad aſtra Saturnum ſequi.
Theon. Non horret hæc delubra? *Clearch.* Priùs exhorruit;
Sed nunc ſubire geſtit impatiens moræ.
Beſſ. * Hæc ergo pariter Patroclus ſubeat, mone.
At tu * parenti liberum vinclis refer;
Et innocentem Patroclum. Natum alterum
Jam prompta patriis victimam cedat Diis.
Theon. Liceat priùs hero Patroclo paucis loqui.
Beſſ. Ergo Clearchum ſequere. *Theon. tacitè.* Quid credam, ô Deus!

* *Ad Clearch.*

* *Ad Theonam.*

SCENA

SCENA QUARTA.

Bessus solus.

Non sat tamen percipio, quid quærat Popa
Mendaciis, cur Patroclo tantum scelus
Affingat. An delirat? an per somnium
Quod vidit, enarravit ùt verum mihi?
Certè graviter hac luce prostituit meam
Authoritatem. In vincula nepotem dedi
Avunculus, & in vincula quidem publica,
De perpetrato scelere ne auditum quidem.
Sic fama nostra vapulet ob Popæ unius
Insaniam? Satellites. Satellites.

SCENA QUINTA.

Bessus. Beryllus. Stolander. Prætoriani.

Beryll. Verende Genitor, habeo, quod graviter querar:
Nempe Gagegorus - *Bess.* Nomen invisum preme
Hominis dolosi. Huc ocyùs Popam impium
Voçate. *Stol.* Prodit ipsus en! tibi obvius.

SCENA SEXTA.

Perſonis prioribus accedit Gagegorus.

Gag. Prætor verende- *Beſſ.* Impoſtor ex-
ecrande! ſed
Jam parco probris. gravior exſpectat
ſcelus
Infame pœna. Ad carceres lictor trahe
Caput nefandum. *Gag.* Ad carceres? quis
in virum,
Summum ſacr[illegible]um Antiſtitem hæc audet?
Beſſ. Gradu hoc
Indignus, & dejectus huic * cedas locum,
Et dignitatem Antiſtitis ſummi. *Gag.* Quid?
huic?
Beſſ. Detrahite mitram, dignius ut ornet
caput.
Gag: Saturne! Apollo! Marspiter! ve-
ſtrum Popam
Defendite. Polus fulmina! feri! tona!
Beryll. Fruſtra furis. *Beſſ.* Jam inſignia
ſacri muneris
Authoritate publica impono tibi. *
Stol. Conſentio. Jam ſummus Antiſtes
Popam
Hunc ſimplicem * declaro perſonæ ſacræ
Cunctis privatum juribus. Sceleris reum
Manibus profanis trado mulctandum, ut
decet,

* Stolandrum denotat.

* Ad Stolandrum.

* Gagegorum.

Præ-

Prætórque ſtatuet. *Beſſ.* Trahite quo juſſi modò.
Gag. Saturne nullum fulmen an tibi ſuper?
Stol. & Beryll. Ad carceres, ad carceres. *Satellites.* ad carceres. * *Abripitur Gagegorus.*
Stol. Sic Archimyſta mandat, & Prætor ſimul,
Cui gratias pro munere novo plurimas
Reddit Stolander. *Beſſ.* Tu modò Antiſtes nove
Adduc ad aras victimam. Evocet tuba
Ad templa cives. *Stol.* Induo veſtes ſacras,
Mox adfuturus. *Beryll.* Gratulor munus tibi
Diu cupitum. *Stol.* Debeo hoc tibi. Memor
Reddam vices, Berylle, dum ſtabis brevì
Conſentiente patre ſub cultro meo.

SCENA SEPTIMA.

Beſſus. Beryllus.

Beſſ. Quid iſta? quid de patris aſſenſu? *Beryll.* Novus
Jam Myſta pariter victimam quærit novam.
Cùm Daſius recuſat accedere Diis,
Faciet Beryllum Daſii loco Deum,
Conſentiente patre. *Beſſ.* Mitte nœnias

 Has

Has nate. *Beryll.* Dicis nœnias, fieri Deum?
Bess. Divinitatis particeps alio modo,
Et tempore alio nate fors eris. Interim
Saturnus unum Dasium exposcit sibi.
Beryll. At Dasius recusat. *Bess.* Imò ardet citò
Constringere inter astra Saturnum suum.
Beryll. Deus ergo fiet Dasius, & ego puerum
Supplex adorem? genitor, hæc nequeo pati.
Bess. Noli invidere Dasio hanc sortem. Domum
Matrémque repete. Jubeo -- non obedies?
*Abit. *Beryll.* Obedio. Sed - * *Bessus solus.* Filii ambitio placet,
Sed immolare filium haud placet. Diis
Ægrè nepotem cedo; sed ratio statûs
Sic exigit. Ut obtemperent cives mihi,
Obtemperandum civium votis, licèt
Non rarò iniquis.

SCENA OCTAVA.

Bessus. Clearchus.

Clearch. - - Patroclus jam vinculis
Solutus est. *Bess.* Cur templa non tecum sub it?
Clearch. Brevì sequetur. Pauca, quæ servo priùs

Com-

Committat, habet. *Beff.* Avunculo ignoſcere poteſt
Injuriam? *Clearch.* Ut videtur, injuria parùm
Commovit animum Patrocli. Aliud quidpiam
Perturbat. *Beff.* Et quid? *Clearch.* Neſcio. Quando monui,
Ut mox ſubiret templa Saturni, moras
Non ferre pectus Daſii ardeſcens nimis,
Properare ad aras victimam, & ſuum Diis
Offerre ſponte ſanguinem, expalleſcere
Toto ore viſus Patroclus: ſtuduit quidem
Celare frontem, ſed tamen ſuſpiria
Sat prodidêre, quòd premat pectus dolor,
Dolórque vehemens. *Beff.* Neutiquam miror: movet
Se ſanguis, & natura, dum fratrem unicè
Charum cruenta morte tollendum videt.
Horreſco pariter cernere nepotem neci
Jam proximum; ſed vinco naturæ impetum,
Tenerósque motus ſanguinis libo Diis,
Bonóque patriæ. Faciet & idem Patroclus,
Quin imò jam jam fecit, & fratrem ipſemet
Potiſſimùm commovit, ut ſemet Diis
In victimam ſpontaneam tandem daret.
Clearch. Demus igitur ſacris initia. Jam ſcatent

Populo referta templa. *Beſſ.* Nihil in me moræ eſt.

Clearch. En! jam propinquat victima. ſpatium date.

SCENA NONA.

Beſſus. Clearchus. Daſius. Stolander. Popæ. Cives. Prætoriani &c.

Daſ. Adeſte Cives Myſiæ, & quotquot mei
Teſtes pavoris antea his in ædibus
Steriſtis, adſum denuo, errorem meum
Reparabo. Priùs exhorrui cultrum puer:
Natura nempe ſola tunc rexit animum
Divinitatis inſcium: quàm ſit potens,
Quàm ſuave Numen, quod beare Daſium
Tanto favore voluit, & ſecum cupit
Regnare in aſtris, neutiquam agnovi priùs.
Serus, tamen jam ſeriò totus animus
Amore miro conflagrat tanti Dei,
Qui Daſium ſic diligit, præ tot aliis
Tot è tenebris erutum ad cœlum vocat,
Et præ tot aliis victimam elegit ſibi.

Stol. Stupete cives. Gratulamini Diis.

Popæ omnes. O fortis, ô miranda Saturni manus!

Populus omnis. Miraculum! miraculum!

Daſ. Eſt miraculum,
Fatebor ipſius. Numinis potentiam

Hinc

Hinc disce chara Mysia: timidus puer
Cultros, & enses provoco. Cruorem
lubens
Istas ad aras immolo Deo.

SCENA DECIMA.

Personis prioribus accedit Beryllus.

Beryll. - - - Procul
Hinc cede Dasi. Aras Beryllus occupet,
Te melior inter astra Saturno comes
Futurus. Archimysta promissum impleas:
Crea Beryllum Mysiæ novum Deum.
Bess. Iterúmne nate insanis? *Stol.* Invito
patre
Nil audet Archimysta. *Beryll.* Dasii pa-
rens
Quid exigat, quo præmio te - *Stol.* Jam
modò
Sum Mysta summus, Dasii matrem nihil
Curo ampliùs. *Das.* Rectè Stolander; nam
Deo
Plùs quàm parenti obediendum. *Stol.* Abs-
que dubio.
Das. Nec te Berylle ad astra Saturnus vo-
cat.
Me me sibi hodie victimam poscit Deus.
Bess. Ita est recede. *Beryll.* Sícne me sper-
nunt Dii?
Ego ergo pariter sperno spernentes Deo.

Popa omnes. Blasphemia! heu! blasphemia. *Bess.* Ignosce puero,
Quod loquitur haud intelligit. * Domum citò
Reducite, flagris impiam vocem luet,
Clearch. ad Das. Tu jam, priusquam victima occumbas, thronum
Hunc occupa, & referenda Saturno excipe
Vota patriæ totius, & quæ - *Das.* Patriæ,
Domûsque patriæ vota jam excepi priùs,
Promitto, quod promiseram, rursus: memor
Etiam inter astra Dasius patriæ suæ
Semper erit, & pro patria Numen quoque,
Cujus amore victima occumbet hodie,
Precibus fatigans, Mysiæ lucem novam,
Et sæcla poscet aureis quoque sæculis
Meliora. *Stol.* Flectas igitur hîc Dasi genu;
Priùs tamen, velamen hoc, patere, oculis
Pro more, ut imponatur. *Das.* Apage, Nil opus
Velamine est: non horreo cultrum ampliùs,
Vel mille corde interrito excipiam neces.
Popa omnes. O fortis! ô miranda Saturni manus!
Stol. Generose nimiùm -

* *Ad milites Abducitur Beryllus.*

SCENA

SCENA ULTIMA.

Personis prioribus accedit Patroclus.

Patr. - - Siste! Prætor, da ultimùm,
Paulùm remotis arbitris, fratri loquar,
Et vota pandam occulta, quæ pro me polo
Supplex futurus deferat. *Das.* Frater, scio
Jam vota tua. Complebo. Ne injice moras
Properanti ad astra. *Patr.* Verbulum, quæso, unicum.
Memento - *Das.* Memini jam sat. Haud unquam immemor
Fratris ero. *Patr.* Sed, quæ dixeram tibi, tam citò
Excludis animo? *Das.* Teneo. Nunc sine, impleam,
Quod ardor animi Numine agitati imperat,
Ut digna cœlo victima, & coram Deo
His stante in aris occidam - *Patr. tacitè.* Dicis Deum
Saturnum? *Das.* Ut, inquam, victima, & coram Deo
His stante in aris occidam, sinite, dum adhuc
Vivo, decenti more Saturnum colam,
Habeámque honores debitos tali Deo.

Stol.

Stol. O quanta pietas! quantus in puero animus!

Popæ omnes. O fortis, ô miranda Saturni manus!

Populus omnis. Miraculum! miraculum!

Patr. tacitè. Infelix puer!
Quid agito? *Das.* Promptum flecte jam Civis genu,
Mecúmque junctis precibus, & votis piis
Supplex adora Mysie - quid frater genu
Flectere recusas? solus hic adstans? *Patr.* Dolor
Nec stare, nec recedere hinc sinit. *Bess.* Dolet.
Natura nempe, & ultimos motus ciet,
Horrétque fratris cernere cruentam necem.
Si vis, recede. *Das.* Imò, obsecro, frater mane,
Mecúmque, cúmque Mysia tota novum,
Qualem hac in ara conspicis, * adora Deum.
En! vester hic est verus, & solus Deus.
Saturne partus stygie sub stygem rue.

Popæ omnes. Heu! heu! Diis succurrite ô Cives, Diis
Succurite! *Clearch.* Tetrum facinus! *Bess.* Hoc audes nepos?

Das. En fortis! En miranda Saturni manus!
Hîc, hîc videtis unicum, & verum Deum.

* *Hic Dasius crucifixi effigiem sinu extractam imponit Aræ, dejectâ à Saturni statuâ.*

Clearch.

Clearch. Ulciſcimur blaſphemiam, & læſos Deos.
Rapite arma cives, perdite, ſecate puerum
In mille fruſta. *Populus omnis.* Morere!
Beſſ. Siſtite. Patrocle
Succurre fratri, & eripe furori. *Patr.* Nihil
Impedio. Daſi morere. *Daſ.* Pro Chriſto lubens.
Hic unus eſt, ô Myſia, & verus Deus.
Clearch. Non ſuſtinemus. Pereat, & citò.
Populus omnis. Pereat!
Pereat nefandus! *Clearch.* Morere. *Daſ.* Pro Chriſto lubens.
Hic unus eſt, & ſolus eſt - *Clearch.* Habet, jacet
Nolens, volénsve victima, inſanus puer.
Patr. O glorioſa victima! à cœlo parem
Expoſce fratri lauream! Prætor - *Beſſ.* Tace.
Fratrem tua ſat arte ſeductum ſcio.
Vera nimiùm Archimyſta. *Patr.* Ab aris impiis
Fratrem reductum glorior. *Clearch.* Quid? Patroclus
Pariter Deos blaſphemat? *Patr.* O bellos Deos
Quos una pueri dejicit ab aris manus.
Saturne fractis cruribus ad orcum redi.
Pop. Blaſphemia nova! *Omnis popul.* Pereat infandum ſcelus!

Beſſ.

Beſſ. Siſtite! peribit, juro, ſed nece, ut decet,
Atrociore. Jam abripe Satelles, foro
In publico carnificis infami manu
Palo alligatus ardeat lento rogo
Exuſtus, & per mille ſparſo vulnera
Cruore placet Myſiæ offenſos Deos.
Clearch. Ita eſt. Trahatur ad rogum. *Popul.* Ad rogum, ad rogum.
Patr. Hoc eſt, quod opto. Daſium ad cœlos ſequor.
Fratrum duorum ſanguinem Chriſte accipe,
Et Myſiæ placatus aurea ſæcula,
Veræque fidei denique indulge jubar.
Beſſ. Abripite. Triſtem Myſiæ Diis diem!
Patr. Sed glorioſam plurimùm vero Deo.

O. A. M. D. G.



PICUS

PICUS MIRANDULANUS, PHOENIX MARIANUS.

ARGUMENTUM.

JOannes Picus Mirandulæ Comes, ævo ſuo dictus Phœnix Ingeniorum, quòd ſimilem ſibi non haberet, Elegiaco carmine amores luſerat, quos quinque libris exaratos religionis causâ ignibus tradidit. *In ejus vita à Franciſco Pico conſcripta, & Joannis operibus præfixa.*

PER-

PERSONÆ.

Picus, *Mirandulæ Comes.*
Alvarus de Phœnice, *Pici affinis.*
Florimontius, *Aulicus Ferrarienſis.*
Baſſus, *Canonicus Florentinus Pico familiaris.*
Charylus, *Pici Ephebus.*
Dromus, *Pediſſequus.*

PRO-

PROLOGUS

Scena exhibet Bibliothecam Pici Mirandulani.

Personæ. Amor Profanus. Amor Marianus.

Amor prof. solus. Bella hæc Bibliotheca!
Latina, & Græca.
* Tibullus, Pindarus,
Naso, Propertius.

** Lustrat librorum titulos.*

Libri omnes ad Sæculi mores
Spirant Venerem, docent amores.

* Sed quale in hoc pulpito manuscriptum video?

** In media mensula expositum manuscriptum.*

Legit. *Cupido Triumphans. Authore Pico Mirandulano comite.*

Jo! triumpho! etiam illustres pennæ Cupidinem evehunt.

Et ô quàm bellè Picus hic canit!

Non ita tenerè
Turtur scit gemere,
Dum sine compare
Cava sub arbore suspirat.

Jo! Jo! triumpho *

Amor. Mar. Noli triumphum canere ante victoriam.

Amor. Prof. Meam mihi invides gloriam?

Amor. Mar. Mox aliud spectaculum dabo,
Picum tuum deplumabo.
Altiùs ut evolet,
Et astra ipsa penetret,
Sunt evellendæ malæ
Aviculæ huic alæ.

Attende, moneo. Dolum paro, ùt spero, felicem.
Hunc Picum meis artibus mutabo in Phœnicem.

Amor prof. Tua verba non capio.
Ænigma tuum rideo.

Amor Mar. Videbis,
Sed non ridebis.

* *Prodit Amor Marianus.*



ACTUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Picus. Charyllus. Dromus.

Picus. * Heu flamma ! flamma ! currite ! huc lymphas citi.
Drom. * Incendium ! heu Incendium ! Succurrite !
Charyll. * Ubi flamma Drome? *Drom.* Nescio, sed nempe hero
Clamante nunquid clamet & servus, decet ?
Picus. * Servate mihi Cupidinem, Cupidinem
Servate ! *Charyll.* Flamma, credo, musæum tenet.
Properemus illuc. * flamma ubi Illustrissime ?
Picus. * An dormientem Morpheus lusit? nihil
Incendii ? *Charyll.* Nil video. *Picus.* Somniaveram,
Igne subito conclave correptum. *Charyll.* * Sopor,
Laus Numini sit maximo, vanus fuit.
Sunt salva, tutáque omnia. *Picus.* * Et salvus quoque

*Intra Scenam. * Ex parte theatri procurrit Dromus. * Ex alia Charyllus. * Adhuc intra scenam. * Aperitur Musæum. * Evigilans * Deo pros

L 2 Rerum

mpta Rerum omnium charissima, Cupido meus
expul Uni huic timebam. Si libros omnes vo-
pito rax
scri- Hausisset ignis, tota si in cineres domus
pta Abiisset, ædes denuo aliena manu,
oscu- Et subditorum sumptibus condere novas
latur. Licuisset; ast hic ingenî partus mei
Si conflagrâsset, heu quot annorum labor
Periisset! isque non nisi sumptu meo,
Et proprio sudore reparandus labor!
Recedite modò; & si placet, resumite
** He-* Ruptam quietem. * Tu interim proles
rum mea
oscu- Tantò mihi jam charior, quò perditam
latur Propiùs dolebam, gratior mihi es quies.
sua de
Cupi-
dine
scri-
pta.

SCENA SECUNDA.

Charyllus. Dromus.

Drom. Charylle. *Charyll.* Quid? *Drom.*
Num in arce nostra fors latet
Aliquis Cupido? *Char.* Quo nihil pre-
tiosius,
Nil pulchrius, nil charius Picus tenet.
Quid ingemiscis? quid tremis? *Drom.*
Tu non tremis?
Nôstine quid Cupido sit? *Char.* Cur ne-
sciam,
Quod centies, quin millies, vidi, audii?
Est nempe nobilissimus partus; Jovis
Dignus

Dignus cerebro, matre dignus Pallade.

Drom. Alia ego de Cupidine, & contraria

Omnino nuper audii, & vidi quoque
Ipse in theatro publico. Nempe est puer
Nequissimus, meretrice natus improba.
Quin juvenis est Dæmunculus. Tela & faces
Vibrare passim dicitur, queîs obvios
Adurit, atque sauciat gravissimè.

Char. Te, credo, jam jam adussit, & graviter satis
In capite fauciavit. *Drom.* Et nequam, improbum,
Nequissimum, dæmunculum vivum sua
In arce noster patitur, & fovet Comes?
Certè timendum est somnium implendum. Brevì
Arx tota flammas concipiet, illico nisi
Pellatur inde facibus armatus puer,
Nequam Cupido. *Char.* Prô nimis simplex caput!

SCENA TERTIA.

Charyllus. Florimontius. Dromus,

Florim. Aditúsne ad Illustrissimum tuum patet?

Charyll. Arx tota Florimontio semper patet.

Drom. Ah gratiose mi Domine, cave, obsecro,
Conclave subeas. Terricum ibi spectrum latet,
Dæmunculus quidam diabolo sene
Magis timendus. *Flor* Veráne hæc? *Char.* Domine Baro,
Heri mei Cupidinem nôsti. Hunc timet
Insanus iste, & Dæmonem vivum putat,
Aut nequiorem Dæmone. *Drom.* Hunc ergo puerum
Vos non timetis? non piè exhorrescitis?
Flor. Imò etiam amamus. *Char.* Ergo placeat ingredi.

SCENA QUARTA.

Picus. Florimontius.

Picus. Accinctus ad iter sole vix orto Baro es?
Adeóne Florimontii genio hic locus,
Mirandula mea displicet? *Flor.* Ferrariam
Me jussa nempe Principis meæ evocant.
Comitem viæ Cupidinem exspecto tuum,
Exspectat etiam hunc cupida, & impatiens moræ
Rosaura Princeps. Hujus in docto sinu
Blandum quiescet interim hæc proles tua,
Cui publicam lucem invides durus pater.

Picus.

Picus. Nescis, meum Cupidinem hac nocte subitis
Periisse flammis? *Florim.* Sydera hoc malum vetent!
Ergo Cupido periit? ô flammam impiam!
Picus. Sic nempe somniaveram; sed somnium
Inane lux probavit. Incolumem vides. * *osten-*
Flor. Respiro, *Picus.* Sic te terruit libri *dit* unius *scri-*
Jactura? *Flor.* Quem non terreat talis *pta.* operis
Jactura? certè Herostrati manu impia
Incensa templa, & dirutas tristi foco
Aras Dianæ antiquitas luxit minùs,
Quàm saecla nostra perditum flerent tuum
Cupidinem. Ferrariam sanè, & meam
Ad Principem redire non ausim mali
Adeò nefandi nuntius. Sic æstimat,
Deamátque nobilissimum partum ingeni
Mirandulani hæc saeculi nostri nova,
Amæniórque Sappho. *Picus.* Nimiùm jam æstimat,
Deamátque, quod non vidit. *Flor.* Haud vidit quidem,
Sed hinc videre ardenter, & citò cupit,
Sat certa dignum Apolline, & Musis novem
Opus, quod ipsa Pallade stupente peperit,
Partúmque tanto tempore polivit, Comes

Mirandulanus. *Picus.* Prodigus hodie nimis
Encomiorum amice es. Id fateor tamen,
Non solus es, qui plurimùm mihi, & meo
Cupidini blandiris. Ecce litteras,
Quas undique ad me encomiis plenas viri
Musarum amantes. His monent, urgent, rogant
Uno ore, pérque Numina adjurant novem,
Hæc scripta tandem publico ut mandem typo.
Nil impetrârunt hactenus. *Florim.* Meæ tamen
Non denegabis Principi, quod tam sacra,
Et publica promiseras nuper fide:
Saltem legendum Palladi trades tuæ,
Ipsa quod incitante perfectum est opus.
Hæc sola namque causa me Ferrariâ
Mirandulam evocavit, & Ferrariam
Modò revocat. *Picus.* Quam Principi fidem dedi
Exsolvo. Judicabit hæc Pallas mea,
An luce dignus publica hic partus fiat.
Brevem moram si pateris, addo perbrevem
Inscriptionem. *Florim.* Nobile hoc opus tuum
Cui dedicabis? nónne Principi meæ?
Picus. Vix dedicare *Virgini Cupidinem*
Audebo.

Audebo. Scis judicia quorumdam nimis
Severa. Quid si filium matri suæ,
Nempe Veneri Cupidinem inscriberem?
Flor. Id non ineptè, ùt judico. *Picus.*
Vel forsitan
Cupidini ipsi, cujus hoc in carmine
Cano triumphos? *Flor.* Pariter hoc aptum
puto.
Pic. Vel etiam utrique, filio, & matri
simul,
Veneri, Cupidiníque? si placeat, lege
Epigraphes, quas nuper hanc in rem vago
Calamo notavi. Ex his quid eligam,
doce.

SCENA QUINTA.

Picus. Florimontius. Charyllus.

Char. Affinis Illustrissimi stat ad fores.
Picus. Admitte. * Nôstine Alvarum affinem meum?
Hispanus est, vir moribus gravis, Comes
De Castrio, & Phœnice. *Flor.* Gratulor
mihi,
Tuæ sororis conjugem si noscere
Hodie licebit. *Picus.* Igitur, occurram,
sine.

* *Iterum abit Charyllus.*

SCENA SEXTA.

Picus. Florimontius. Alvarus.

Alv. Arcana fors negotia tibi sunt. Nihil
Turbabo. *Picus* Non arcana sunt, quæ
cum hospite
Hoc tracto. *Alvar.* Quisnam hic hospes
* ignotus? *Picus.* Baro
De *monte* dictus *florido* Ex aula venit
Ferrariensi, Principi à cubilibus. *
Deliberamus inter has Epigraphes,
Quænam eligenda. Si placet, pariter
lege,
Et judica. *Alv.* * Prævenit, ut video,
mea
Mirandulanus vota. Confecta teneo,
Quæ veneram, ut rogarem ab affinis
manu,
Calamóque conficienda. *Picus.* Quænam
igitur tua
Hæc vota? *Alv.* Statuam nempe, quam
cernis rudi
Delineatam dextera, * Matri Dei
Vovi erigendam; accommodam quæro
statuæ
Subscriptionem, quæ explicet votum
pium.
Picus. Quale ergo votum hoc? vel quid
hæc avis sibi,

Quam

* *Salutant se mutuo more aulico Alvarus, & Florimont.*

* *Legit tacitè oblatam chartam.*

* *Alvarus ostendit chartam in qua deli-*

Quam Pusio Divinus in manu tenet?
Alv. Avicula hæc tenella filiolum tua
Genitum sorore denotat. Matri Dei
Parens uterque gratus hæredem Domûs
Debere se fatetur. Hinc Matri Dei,
Magnæque Matris filio æternùm cupit
Hunc dedicatum filium. *Picus.* Laudo piam
Mentem parentum. *Flor:* Sed tamen mira hæc avis.
An Picus est? & inter ignes cur micat?
Habet aliquid Phœnicis. *Alv.* Ut dixi, meam
Avicula ista denotat prolem, patre
Phœnice, Pica matre prognatam. *Picus.* Placet
Plena ingenî hæc imago. *Alv.* Cui percommodam
Epigraphen dum quæro, ab affinis manu
Video paratam triplicem. Fratrem soror
Jam nempe præmonuerat? *Pic.* Ad me nil soror;
Mihi tamen, tibique plaudo, si meus
Servire possit usibus vestris labor.
Alvarus legit. *Matri Amoris*
Amores suos.
Vel: *Matris amabilis amabilissimo filio.*
Vel: *Amabilissimis Matri, & Filio*
Hunc partum suum D. D. D. æternum
Utriusque mancipium.

mata flamma R. V. eum Divino Filiolo, qui manibus tenet aviculam flammis cinctam.

Quid

Quid inveniri melius hanc in rem queat?
Jam sola dubium me, & inopem copia
facit,
Ex triplici hac quam seligam potissimùm
Epigraphen. *Picus.* Mihi plaudo, dixi,
si meus
Servire vestris usibus possit labor.
Flor. Sic nempe geminos parietes fideliâ
Dealbat unâ Comitis ingenium ferax.
Alv. An destinârat alteri forsan rei
Affinis hanc Epigraphen? *Flor.* Nempe
proprio,
Pulcherrimóque partui, Cupidini.
Dedicat amoris matri, amoris filium.
Alv. Hæc ergo Veneri, & Veneris in-
fami notho
Mirandulanus nomina? an nondum pu-
det
Deterere nugis Cypriis decus ingenî
Sublimis adeò? *Flor.* Quid? opus hoc,
Musæ novem
Quod obstupescant, Cyprias nugas po-
test
Vocare quisquam? *Pic. ad Flor.* Amice,
non nôsti? Alvarus
Hispanus est; his nempe sunt nugæ meræ,
Quæcunque non sunt torva, vel fastu
ebria.
Atque gravitati hispanicæ bilem movet,
Amœniore quidquid à Musa venit,
Venáque liberiore profusum salit.

Alv.

Alv. Agnate, non hiſpanicè loquor modò.
Aliàs honeſtiore nomine hos libros
Poſſem vocare; nempe non nugas meras,
Sed folia flammis digna. *Pic.* Num verò Alvarus
Dignatus unquam eſt legere, quos damnat, libros?
Alv. Vel obiter inſpexiſſe pœnituit. Nihil
Occurrit, ad quod læſus haud gemat pudor.
Flor. Monialis oculos lædere hic forſan queat
Cupido; ſed non ſcripſit hos clauſtris libros
Mirandulanus, nec, puto, hunc partum ſuum
Paphnutio dicabit, &, ſi publicæ,
Ut ſpero, luci dederit, haud, credo, petet,
Patrinus ut ſit parvulo huic nato recèns
Hiſpanus Inquiſitor. *Picus.* Haud tali quidem
Honore me dignabor. Obſcurum ſcio
Hunc eſſe partum. Juvenis hos ſcripſi libros,
Et non niſi Juvenibus. His placeant, ſat eſt.
Alv. Mirandulano Comite bene dignus labor,

Pla-

Placitura pueris scribere. *Flor.* Interim
tamen
Hæc scripta pueris, scripta per juvenem
senes
Mirantur, & doctissimi stupent viri.
Alv. Quinam hi viri doctissimi? *Pic.* Quorum potes
Videre, si vis, litteras ad me datas.
Italia, Gallia, Anglia, & Germania,
Et litteratus orbis omnis approbat,
Optátque lucem publicam huic proli
meæ.
Alv. Dic spuriæ. *Flor.* Libentiùs certè
audiet
Picum canentem, quàm graves hispanicæ
Muscæ susurros, & chimæricas tubas,
Cuicunque non in auribus Mydas sedet.
Alv. Nôstine, cui loquaris? *Flor.* Jam
saltem scio,
Me noscere satis, & quid, & pro quo
loquar.
Nec capio, quomodo solus affinis sui
Affinis adeò spernere labores queat,
Queîs tota, quamvìs semper illustris,
Domus
Mirandulana illustrior tamen, & nova
Luce radiata sæculis seris dabit,
Quod obstupescant. *Alv.* Sæculis seris
dabit,
Quod obstupescant, Cyprius Pici labor!
Flor.

Flor. Laudes avorum bellicas omnes Nepos

Laude ingenti superabit, & feliciùs
Mirandulorum nomina inscribet cedro
Amœna Pici penna, quàm gladius ferox
Omnium atavorum. Publicæ luci datus
Cupido Picis pariet æternum decus.

Alv. Mirandulanis utique decus ingens dabit
Vel unica hæc Epigraphe: *Matri & Filio*
(Nempe Veneri, & Cupidini) *se dedicat*
Utriusque (nempe *Veneris, & Cupidinis*)
Mancipium. Et hæc subscriptio: *Picus, Comes*
Mirandulanus. Ipsus expende, obsecro,
Quàm gloriosum nomini id credis tuo,
Si sera sæcla legerint: *Picus Comes*
Mirandulanus Veneris, & Cupidinis
Mancipium. *Flor.* Acriter omninò, strictéque nimiùm
Interpretaris verba. *Alv* Nil interpretor.
Assumo verba in obvio sensu, prout
Affinis illa scripsit, & prout jacent,
Prout moderni, & posteri seri legent.

Picus. Fatebor, hæc conscripta præcipiti nimis,
Vagóque calamo, potero mutare facilè
Hæc verba, vel omnino tota inscriptio
Delenda facilè. *Alv.* Meliùs affinis librum

Dele-

Delebis omnem. Consules famæ tuæ,
Si nocte partum spurium æterna premas.
Flor. Quin consules & gloriæ, & famæ tuæ,
Si nobile opus hoc publicæ luci dabis;
Novo illustrabit lumine illustrem Domum
Mirandulanam pignus hoc novum ingenî
Mirandulani.

SCENA SEPTIMA.

Personis prioribus accedunt Charyllus, & Bassus.

Charyll. Adduco, quem gratissimum
Tibi hospitem, Illustrissime, futurum scio.
Picus. O Basse! salve millies. Unde subitò
Florentiâ Mirandulam? *Bass.* Duplex trahit
Cupido: nempe cupio venerari, ùt decet,
Mirandulanum Principem, & tum Principis
Cupidinem videre. Tota Hetruscia,
Et aula Florentina præsertim nihil
Ferme, nisi Cupidinem narrat tuum.
Picus. Quid aula Florentina de hoc partu meo?

Bass.

Baſſ. Summa omnium exſpectatio eſt, & maxima,
Ac forte nimia curioſitas mea.
Nempe antequam parentis è docto ſinu
Tam bella proles publicam in lucem exeat,
Cuperem videre. *Picus.* In tempore omnino advenis.
En nunc amici cernitis coram virum,
Quem litteræ, virtúsque commendant. Pium,
Doctúmque pariter munus impôſtum probat.
Templis, & aulæ ſervit. Hic pronuntiet,
Quid ſentiendum denique ſit hoc de libro.
An obfuturus gloriæ illuſtris Domûs,
An profuturus ingenî hic partus mei.
Baſſ. Ignoſce Princeps - - *Pic.* Deſine hoc nomen, precor,
Nos inter, & dic candidè, quid judicas?
Baſſ. Ignoſce, dixi, de libro, de quo nihil
Conſpexi adhucdum, quale judicium feram?
Non audeo quidem ambigere quidquid à manu,
Calamóque Pici prodit - *Pic.* Omiſſis modò
His blandientûm vocibus, coram vides,

Lege pauca saltem. *Flor.* Poteris ex ungue unico
Facilè leonem noscere. *Alv.* Ex cantu brevì
Aviculam. *Picus.* Vos interim tanti viri
Sententiâ num stabitis? *Alv.* Talem arbitrum
Adesse gaudeo plurimùm. Affinis quoque,
Precor, sequatur consilia viri sacri.
Flor. Adeò eruditi, & aulici simul viri
Authoritatem pronus etiam ego sequar.
Picus. Liberiore ut mente Basso hæc prælegam,
* *Ad Charyllum.* Placeat recedere paululùm. * Duc hospites
Ad proximum conclave.

SCENA OCTAVA.

Alvarus. Florimontius.

Alvar. Vix oculo levi
Chartas Sacerdos cyprias dignabitur,
Mox erubescet, credo, & ambiguo nihil
Damnabit ore Veneris impuros sales.
Florim. Imò voluptas mira perfundet virum
Adeò eruditum, quando vix oculo levi
Mirandulanum viderit Cupidinem,
Ac eruditos pariter, & amœnos sales.

Alv. Bene: audiamus igitur cenſuram Italam.

Flor. Quam mitiorem Hiſpanicâ, ſpero, fore.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Picus. Baſſus.

BAſſ. Plena ſalis omnia, undique ingenium emicat
Mirandulanum. *Picus.* Publico dignum typo
Num judicas hunc ingenî partum mei?
Baſſ. Obſequia noſtra defero. Florentia
Plures habet typographos, artis ſuæ
Valde peritos. Ipſius exactiſſimæ
Correctionis poſtulo laborem mihi.
Committe nobis ſcripta. Mox domum redux
Curabo, cuncta debito ut fiant modo.
Ut gloria tui nominis, & honor Domûs
Mirandulanæ poſtulat. *Picus.* Pignus novum
Sinceri amici Baſſus hac præſtat die.
Non aptiorem potero ſeligere manum,
Nec tutiorem. Publicam Baſſo duce
Secura lucem cernet hæc proles mea.

Baſſ. Cede ergò totam. *Picus.* Cederem ſine mora,
Sed poſtulat Cupidinem priùs ſibi
Roſaura. Florimontius ideo hîc adeſt,
Ut deferat Ferrariam hac adhuc die.
Baſſ. Ferrarienſis Principis mentem ſcio,
Exſpectat illa nobilem hunc partum diu.
Jam ſæpius conqueſta de duro nimis
Parente, quòd tam amabilem prolem domi
Detineat, atque publicam invideat diem.
Hinc ipſa cedet facilis, & partum hunc mihi
Concedet, ut maturiùs detur typo.
Pic. Sine, pauca Florimontio hac de re loquar.
Ni credat ipſe Principem invitam fore,
Tradam tibi Cupidinem hac adhuc die.
Sed quem typographum credis optimum fore,
Aptiſſimúmque? namque litteris optimis,
Et ſplendidè, dum poterit, impreſſum hoc opus
Deſiderarem. *Baſſ.* Diximus, plures haber
Typographos Florentia. Oſtendam editos
A quoque libros, ſeleges ex his typum,
Qualis placebit. * *Picus.* Quo jam abis?
Baſſ. Pediſſequum

* *Abit Baſſus.*

Meum

Meum advoco , quos postulo , ut ferat
libros.
Plures recens Florentiâ mecum attuli.

SCENA SECUNDA.

Bassus solus.

Favete cœptis sydera, & pium dolum
O diva Virgo promove. Gratam tibi
Brevì immolabo victimam , Cupidinem.
Fremet quidem , prævideo , contra me
Comes
Mirandulanus. Gratia Pici excido,
Sed tot animarum gratiâ. Ipsius quoque
Læsisse Picum postulat Pici salus.

SCENA TERTIA.

Bassus. Dromus.

Drom. O Domine Reverendissime. *Bass.*
Quid à me? *Drom.* Obsecro,
Succurre nobis omnibus, quotquot sumus
In arce : nam gravissimè omnes hac die
Periclitamur. *Bassus.* Unde tam subitus
metus ?
Drom. A spiritu nequissimo , à Dæmun-
culo
Pejore magno Dæmone , à Cupidine.
Fors ipse jam jam videris ad heri latus

In hoc cubili spiritum hunc. *Bass.* Cupidinem
Vidi, quid inde? vel quid ab eodem times?
Drom. Arci timendum incendium, & vulnus mihi,
Nisi ocyùs pellatur hac domo improbus
Et spiculis, & facibus armatus puer.
Bass. Spem lætam amice concipe, Cupido brevì
Hinc exulabit. *Drom.* Nempe Dominatio sua
Exorci - cismis spiritum expellet sacris?
Hoc est, quod unum posco. *Bass.* Jam cœpi pia
Adhibere media, tu interim fundas preces,
Ut cœpta cedant prosperè. * *Drom.* Laudes Deo.
Quàm fausta sors adduxit hunc virum sacrum
Nostras ad arces. Drome jam liber novos
Cape spiritus.

* *Abit Bassus.*

SCENA QUARTA.

Alvarus, Dromus.

Alvar. - Adhúcne cum Comite tuo
Bassus moratur? *Drom.* Quis? Sacerdos?
Alvar. Ita. *Drom.* Modò

Excessit,

Excessit, at redibit, ùt spero, brevì,
Cupidinem exacturus è tota domo.
Et, nescio quò, spurium hunc partum procul,
Certè hinc migrare coget ad matrem suam.
Alv. Damnavit ergo spurium hunc partum? *Drom.* Extimas
Credo ad tenebras. *Alv.* Gaudeo, Bassus facit,
Quod à probo exspectaveram, & sacro viro.
Drom. Dubito tamen, contentus an Comes fiat.
Cupidinem, quod audio, nimiùm fovet.
Alv. Damnante Basso damnet & Picus suum
Partum necesse est. Legit hunc ipse arbitrum.
Accedo Comitem, cœpta tam sancta urgeo.
Drom. Jo! Jo! Victoria! etiam nobiles
Cupidinem damnare dum tandem volunt,
Jam nullum asylum inveniet in mundo integro,
Peribit, aut jam periit infamis puer.

SCENA QUINTA.

Picus. Alvarus.

Alv. Quid judicavit Bassus? an legit tuum
Cupidinem? *Picus.* Vix obiter inspexit aliqua
Mox ille - *Alv.* Quid mox? *Pic.* Omnia nihil hæsitans
Mirè approbavit. *Alv.* Approbavit? *Pic.* Laudibus
Etiam supremis extulit. *Alv.* Bassus? *Pic.* Modò
Etiam urget, ut hæc publico tradam typo.
Correctionis pariter exactissimæ
Sibi laborem poscit, ut maturiùs
Meus iste partus publicam cernat diem.
Alv. O digne flammis publicis Veneris Popa!
An illius sententiâ stabit Comes
Mirandulanus? *Picus.* Consilia sacri viri
Ut sequerer, ipse nunquid affinis priùs
Precatus es? *Alv.* Non noveram nempe improbum
Hypocritam, quem fama, quem Florentia,
Et aula tota finxerat virum probum.

Picus.

Picus. Hucusque non expertus illum sum
improbum,
Etsi intimè mihi cognitum. Hinc pronus
sequor
Authoritatem tam probi, & docti viri.
Et ne moremur tradere typo publico
Hæc scripta, placeat Alvaro ex lectis priùs
Epigraphen seligere, quam statuæ suæ
Subscribat, altera serviet libris meis.
Alv. Epigraphen Cupidini, & Veneri
improbæ
A te dicatam seligam pro Virgine
Purissima, purissimóque Filio?
Vale Poëta Veneris. Inquiro calamum
Et puriorem, & digniorem Virgine.
Picus. Sat candidè hæc affinis. *Alv.* Affinem tuum
Noli vocare. *Picus.* Valeat igitur Alvarus
De Castrio, & Phœnice. *Alv.* Picúsque
valeat,
De Venere, de Cupidine.

SCENA SEXTA.

Alvarus solus.

Nihil hæsitans
Mirè approbavit omnia! imò publico
Chartas pudendas judicat dignas typo!
Et hæc Sacerdos? hæc Canonicus? Principum

 Modè-

Moderator? hêu! quos pelle ſub ovina lupos
Hodie fovemus inſcii! quales ſacra
Sub veſte nobis Roſcii illudunt! pudor!

SCENA SEPTIMA.

Alvarus, Baſſus.

Baſſ. Si liceat ad te verbulum Illuſtriſſime,
Alv. Etiam mihi ad te pauca, Reverendiſſime.
Epiſcopatum nempe gratulor novum.
Baſſ. Epiſcopatum? *Alv.* In Inſula Cypro. Mitram hanc
Dudum meretur Veneris emeritus Popa.
Baſſ. Nec hoſce titulos, nec talem mitram ambio.
Alv. Saltem creandus es ſacri Palatii
Magiſter, ídque ad vota, mentémque omnium,
Qui ſcribere, legere, vendere profanos amant,
Turpéſque codices. Omnibus etenim libris
Baſſus benignus cenſor, & nihil hæſitans
Subſcribet: *Imprimantur. Baſſ.* Adverto, Comes
Mirandulanus nunquid affini modò
Locutus eſt? *Alv.* Sententiam expoſuit, viro

Aris

Aris dicato, & Canonico dignissimam.
Bass. Sententiam, mentémque si capit meam,
Spero, probabit Alvarus, & omnem suam
Authoritatem junget incœptis meis.
Alv. Authoritatem junget incœptis tuis?
Prolémque spuriam Alvarus probro Domûs
Mirandulanæ publicam in lucem trahet?
Bass. Non invidebis partui huîc sortem suam,
Mentem meam si audieris. *Alv.* Impostor apage.
Ni parcerem, qua tegeris indignus, togæ,
Quam præter in te cernimus sacrum nihil,
Væ tergori. *Bass.* Has injurias fero, quia
Factas ab ignorante - *Alv.* Quid? crudum pecus!
Túne Alvarum ignorantem? abi! aut- *Bass.* Mentem meam
Dixi Alvarum ignorare. *Alv.* Fateor, hactenus
Mentem tuam ignoravimus; nam te probum,
Doctúmque mendax fecerat rumor virum.
Jam nosco meliùs. Prodidit præsens dies
Hypocritam. Sententia ex una lego,

Quid

Quid lateat hoc - - *Baſſ.* Sententiam tamen meam
Necdum Alvarus percepit. *Alv.* Ex ipſo audii
Pici ore. *Baſſ.* Noſtra dicta nec Picus bene
Percepit. Hinc dignare, quæ pandam modò,
Audire clariora. *Alv.* Quid demum audiam?
Baſſ. Nempe - at propinquum video Florimontium,
Non indigemus arbitro hoc. Ad proximum
Conclave, ni graveris, acceſſus patet.

SCENA OCTAVA.

Florimontius ſolus.

Cur proripit ſe Baſſus hinc? & cum Alvaro.?
An forſan in ſententiam Hiſpani iverit?
Suſpicio ſurgit. Clericum certè nimis
Præceps, minúſque providus cauſæ arbitrum
Jam videor admiſiſſe. Sed ſanè iverit
In Alvari ſententiam Baſſus, tamen
Mirandulanus neutiquam cedet Comes.
Vel ſi volet ceſſiſſe, tamen ego retraham.
Cupido Sæcularis eſt, non Clericus,
Non pertinet ad Eccleſiaſticum forum.

Ubi

Ubi de amoribus agitur, nunquam bene
Timidus Sacerdos Judicis partes agit.
Hæc causa poscit aulicum, atque nobilem
In arte amandi strenuè expertum virum.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Picus. Florimontius.

Picus. Vicimus amice, denique triumphat meus
Cupido, quem, jam cognitâ causâ, omnibus
Omnino censuris, & omni vinculo
Suspensionis liberum Judex sacer
Pronuntiavit. *Flor.* Seriò hæc? *Pic.* Nil certius.
Nec dubito, quin si Episcopus Bassus foret,
Dedisset Indulgentiam ad decem dies,
Queîscunque vel vendentibus, & ementibus,
Vel sedulò legentibus librum hunc meum,
Adeò vel obiter visus arrisit viro
Noster Cupido. *Flor.* Gratulor tibi, & mihi.
Timere jam jam cœperam, ne Clericus
Judex minùs faveret in causa satis
Dubia,

Dubia, & profana. Revoco jam factam viro
Adeò erudito injuriam. *Picus.* Contrarium
Nobis timebas? *Florim.* Anxium saltem nimis,
Quia Clericum. *Picus.* Sit Clericus Bassus, tamen
Assuetus aulæ est moribus. *Flor.* Et aulæ subin
Nutrire, quin & facere possunt anxios.
Sed revoco, dixi, injuriam factam viro,
Quem Clericum non anxium hæc probat dies.
Nunc ergo cedes pronus hunc partum tuum,
Meæ ferendum Principi. Quid hæsitas?
Picus. Præstabo, quod promiseram: nisi judices
Ferrariensi Principi fore gratius,
Si, quod petierat Bassus, hunc partum illico
Florentiano, & publico tradam typo.
Ipsus laborem nitidæ, & exactissimæ
Correctionis Bassus exposcit sibi.
Flor. Exspectat equidem avidè Cupidinem tuum
Rosaura; sed si publico tandem typo
Dandum Comes decreverit, nullas volet
Injicere votis publicis Princeps moras.

Quin

Quin ipsa Bassi studia laudabit : modò
Fraus nulla subsit. *Pic.* Quidpiam fraudis
times?

SCENA SECUNDA.

Picus. Florimontius. Charyllus.

Charyll. Est quod monere cogor, Illustrissime;
Basso tuum Cupidinem tradas cave,
Non ampliùs redibit ad manus tuas.
Ita Bassus ipse ad Alvarum, quorum omnia
Verba, arbitratus clanculum, excepi modò.
Picus. Quid Bassus ergo ad Alvarum? *Charyll.* Pio dolo
Se dixit usum, ut traditum obtineat sibi
Cupidinem, quem carceri æterno asserit
Mox mancipandum, publicum ne fors typum)
Lucémque subeat orbis hic *Phaëton novus:*
Nam sic vocare placuit hunc partum tuum.
Picus. Hæc Bassus? *Flor.* En! quem providus timui dolum.
Picus. Credísne amice hæc? *Flor.* Alvarus subit. Tege
Audita. Forsan ipse se prodet brevì.

SCENA

SCENA TERTIA.

Picus. Alvarus. Florimontius.

Alv. Mirandulanus Alvaro veniam dabit,
Ut spero, quod præfervido zelo priùs
Invectus est in ingeni partum tui.
Jam dicta revoco pronus, & sententiæ
Accedo Bassi. *Pic.* Adeóne mutatus animus?
Et tam repente? *Alv.* Nempe de partu tuo
Vir eruditus plurima, & tantâ modò
Facundiâ dissèruit, ipse ut judicem,
Ad nomen, atque gloriam nostræ Domûs
Nihil futurum illustrius, quam si tuus
Florentiano traditus typo labor,
Quo destinavit Bassus, edatur modo.
Picus. Nugásne Cyprias, Veneris infamem nothum,
Et folia flammis digna, & in quibus nihil
Occurrit, ad quod læsus haud gemat pudor,
Lucem videre publicam affinis cupit?
Alv. Hæc dixeram præfervido zelo priùs
Abreptus, & vix obiter inspecto libro,
Librìque titulo: meliùs edoctus modò
Retracto dicta. *Pic.* Meliùs edoctus modò?
Quis docuit ergo? *Alv.* Bassus. *Pic. Est Hypocrita,*
Dignúsque flammis publicis Veneris Popa
Hic


Hic Bassus. Haud audire nos decet viri
Adeò improbi Sententiam, minùs sequi.
Pressisse partum spurium, & clausum domî
Damnare tenebris præstat æternis. Typo
Commissus oculos læderet, & aures pias.
Alvar. Ita judicabam, sed aliter cum sentiat,
Quem nôsse tandem incipio, doctus, & simul
Probus Sacerdos, hujus effato Comes
Mirandulanus stare securus potest.
Et nónne Florimontius idem judicat?
Florim. Non soleo retractare, quæ dixi semel.
Dudum asserebam publica dignos die
Mirandulani Comitis hos libros. Modò
Mihi gratulor, si Hispanus Italicæ favet
Sententiæ. *Alv.* Si cognita jubet veritas,
Nil timeo retractare. Prudenti viro
Cedere viri prudentis est. *Picus.* Bassus igitur
Etiam Alvaro videtur hac tandem die
Vir esse prudens? *Alv.* Imò prudentissimus,
Consilia cujus tutus audebis sequi.
Picus. Sine ergo, rursum consulam tantum virum.
Nam pungit animum nescio quid - *Alv.* Liberè
Ut consulas, recedo. Modò Bassum audias.

SCENA QUINTA.

Picus. Florimontius.

Florim. Audîstin' hanc aviculam? cantu suo
Nunquid satis se prodidit? Dubitas adhuc
De fraude? *Picus.* Bassus igitur hæc mihi? intimus
Amicus adeò turpiter amicum audeat
Læsisse? *Flor.* Nempe Clericus. Nunquam Popis
Fides habenda est. Anxium hoc hominum genus
Ubique nodum quærit in scirpo. *Picus.* Anxius
Si Bassus est, non timeat agere fraudibus,
Mendaciisque turpibus? *Flor.* Fraudem piam
Vocabit, oppressisse queîscunque artibus
Periculosum mentibus castis librum:
Namque *Phaëtontem* dicere ausus hunc tuum
Cupidinem, sat indicat, quàm noxium
Orbi futurum judicet. *Picus.* Novi intimè,
Dudúmque Bassum, semper addictus mihi,
Domûsque nostræ commodis, semper fuit
Con-

Conſtans amicus. *Flor.* Fuerat, ùt ſolent Popæ,
Nempe usque ad aras. *Picus.* Forſitan Baſſus vafrè
Hac arte tantùm fallere Hiſpanum parat,
Quem novit adverſarium. Fingit libros
A ſe opprimendos, ne Alvarus rurſum moras
Injiciat, atque publicum impediat typum.
Flor. Gaudebo, ſi mens talis eſt Baſſo. Interim
Incerta res eſt. Clèrico nollem illico
Cupidinem committere. Meæ Principi
Submitte, ſtabit tutior apud Virginem.
Eſt una de prudentibus. *Picus.* Baſſus brevì
Ad nos redibit. Scena ſe pandet nova,
Et clariora prodet. At juro : dolus
Si ſtruitur in Cupidinem, author ſentiet,
Quid poſſit, & quid audeat læſus Comes
Mirandulanus. Cupio te teſtem omnium.
Mane in propinquo. Monitus huc adſis citò.



ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Picus. Bassus.

Bassus affert aliquot scenam libros.

BAssus. Hic cernit Illustrissimus plures typos.
Quis præplacet? *Picus.* Quem judicas aptissimum
Cupidini *opprimendo?* *Bass.* Aberrat; dicere
Volebat Illustrissimus: Quis aptior
Cupidini *imprimendo.* *Picus.* Amice, si quidem
Amicus es, loquamur absque ambagibus,
Et candidè. Quis luditur? vel quem hac die
Decipere Bassus, Alvarum, an Picum parat?
Quæ sors manet Cupidinem? an lux publica?
An carceres domestici? an typographo
Tradetur, an Mulcibero? In has manus tuas
Si veniat, an redibit, & quando ad meas?
Non sum, fatebor, Phœbus; est tamen mei

Mihi

Mihi *Phaëtontis* cura. Nollem propriam
Prolem parens deperdere, & nollem simul
Ut conflagraret orbis à partu meo
Incensus. - Hæres? loquere, & absque ambagibus.
Baff. Adverto. Jam sum proditus. Fraudi piæ
Mirandulanus facilis ignoscet Comes,
Audire si dignabitur. - *Pic.* Fraudi piæ!
Est utique fraus piissima, & viro sacro,
Et vero amico digna, amico consilî
Opem petenti illudere, & coram quidem
Verbis ad astra extollere laborem ingenî
Mirandulani, mox apud alios rogo,
Orcique flammis debitum partum pia
Damnare lingua. Publico dandum typo
Pronuntias, & ipsius exactissimæ
Correctionis poscere laborem tibi
Dolosus audes; interim æternis paras
Damnare tenebris. Utique fraus piissima!
Qua gloriari, & plaudere sibi plurimùm
Possit Sacerdos: nam de amici munere
Silemus. *Baff.* Imò quid aliud tali in statu
Agat Sacerdos verus, & amicus bonus?
Dum fama Pici, & anima cum fama simul
Periclitatur, arte quacunque poterit,
Periculum depellere ab amico studet

Verus Sacerdos, verus & amicus. Fui,
Eróque semper infimus servus, tuis
Jussis paratus, atque si porrò licet,
Quod hactenus licuerat, & amicus bonus;
Sed usque ad aras. *Pic.* Abi igitur ad aras tuas,
Sed procul ab arce, ab ædibus nostris procul.
Tales amicos neutiquam poscit Comes
Mirandulanus, qui rapere charissimum
Sibi thesaurum fraudibus piis student.
Arx tota flammis diruta, & cineri data
Omnis suppellex tangeret animum minùs,
Quàm raptus iste partus ingenii mei,
Sudórque proprius, & tot annorum labor.
Tamen hunc amicus intimus nobis parat
Subducere, & mendacio quidem improbo?
Bass. Ignosce, nil mendaciis egi hactenus.
Si dicta nostra ritè perpendas, nihil
Mendaciorum occurret, ùt spero. *Pic.* Tace.
Tuas ad aras, diximus, abi, sed procul
Ab arce nostra, ab ædibus nostris procul.
Renuntio impostoris indigni nimis
Pudendæ amicitiæ. Charylle!

SCENA

SCENA SECUNDA.

Personis prioribus accedit Charyllus.

Charyll. Quid jubet,
Et poscit Illustrissimus? *Picus.* Fac, janua
Aperta pateat huic homini. *Bass.* Abeo, dum jubes,
Erectâ ad aras abeo, pro Pico meo
Supplex futurus Numini, & semper memor
Mirandulani Principis, cujus quidem
Miser favorem perdidi, quo nil mihi
Pretiosius erat hactenus in orbe integro,
Et perdidi, quia anxius pro anima tua,
Famáque, queîs nil charius Princeps habes,
Periculo subducere utramque studui. *
Char. Precor ego Reverendissimo felix iter
Florentiam usque, & ultra.

* *Abit Bassus.*

SCENA TERTIA.

Picus. Charyllus.

Charyll. Modò Mirandulam
Non redeat. Aula nostra nil nigris eget.
Picus. Charylle! *Charyll.* Quid? *Picus.* Citò revoca. *Char.* Quem? *Pic.* Quem modò

Dimisimus. *Charyll.* Bassum? *Pic.* Cito.
Charyll. Ut stryges Popam!

SCENA QUARTA.

Picus. Bassus.

Bass. Audeóne - *Pic.* Quid periculi famæ imminet,
Animæque? *Bass.* Dixit Alvarus, quidnam tuæ
Famæ timendum, quid animæ, dixissem ego
Nisi silere jussus, & abire hinc procul.
Picus. Subsiste, adhucdum te audiam. Quodnam imminet
Animæ periclum, & unde? *Bass.* Quia libri tui
Creare tot pericula animabus queunt.
Picus. Creare tot pericula animabus queat
Meus Cupido hic? *Bass.* Indolem novi tuam.
Quàm doctus est, tam pariter est pius Comes
Mirandulanus. Quærit illustrem sibi
In orbe famam, & jure; sed non ut Polo
Ideo velit carere. Splendorem Domûs
Mirandulanæ quærit, at non quam stygis
Per tot animarum incendia illustret rogus.

Non

Non vult, ſcio, ſublimia à Deo data
Tanti ingenî talenta vel contra Deum
Adhibere, vel quas publico didicit bono
Tanto labore litteras, in publicæ
Rei ruinam vertere, ſcio, iſthæc procul
A mente Pici abeſſe: ſed dico tamen,
Mirandulanum Principem incenſum nimis
Studio eruditi nominis non cernere,
Vel non ſatis perpendere faces noxias,
Quas ſparget undique publicæ luci datus
Cupido. Forſan ipſus expertus potes
Sat nôſſe, quid legentium in mentes
queat,
Quos excitare ſueverit motus liber
Profanus; &, mitiſſimè ut dicam, meris
Amoribus refertus. *Pic.* Hic liber meus
Fors poterit admirationis quempiam
Motum excitare, ideóne non dignus
legi?
Baſſ. Mirabitur, fatebor, & plauſu
efferet,
Quicunque perlegerit, acumen ingenî
Mirandulani; ſed etiam Cupidinis
Doloſa jacula pectori legentium
Infixa vulnus animæ, & haud uni modò
Lethale, credas, afferent, de quo tibi
Reddenda quondam ratio coram judice
Qui totus eſt diverſus à nobis, erit.
Picus. Corrupta mens, & jam diu aſſueta
Veneri
Fors invenire poterit in libris meis,

Quod nutriat jam jam antea accensas
faces;
At nil timendum mentibus castis. *Bass.*
Nihil
Credis timendum mentibus castis? *Pic.*
Nihil.
Nam casta castis omnia. *Bass.* O bellissimum
Sanè axioma. *Casta castis omnia.*
Ponite parentes, ponite indignos metus.
Vobis probi sunt filii, sunt casti adhuc.
Obscæna quæque dicta vel facta auribus,
Oculísque tuto objicite. Metuendum
nihil
Inde est pericli. *Casta castis omnia.*
Picus. Obscæna verba Bassus in libris
meis,
Ut spero, nunquam legerit. Amores
cano,
Tenerósque motus cordium, at non
turpia
Adulterorum vota, non mistum genus,
Proles biformes, atque Pasiphaes bovem.
Spargo sales, sed noxios nulli. Ingeni
Tantùm voluptas quæritur, non sensuum
Libido concitanda. Nec nudam undique
Expono Venerem. Tegitur, & velo
latet
Allegoriæ conditum, quidquid oculos
Lædere modestos posset. *Bass.* Illustrissime,

Non

Non dico, fescennina de calamo tuo
Fluxisse verba; non Venereis varibus
Annumero Picum, non iis, quibus pudor
Est prostitutus, quósque solum illud pudet
Non impudentes esse; id audebo tamen
Pronuntiare, graviùs à Cupidine
Tot artis, & tot ingenî illecebris nimis
Blandè involuto mentibus teneris adhuc
Periculum imminere, quàm à tecta malè,
Nudáque Venere. Quando se prodit palam
Obscænitas, mox terret ingenuam indolem,
Et à legendo absterret; aut si à quopiam
Temerè legatur, horror invadet animum
Plùs, quàm voluptas; ast ubi ingenium simul,
Et ars pudorem simulat, & docto sale
Plenus eruditas veniat in manus liber,
Rapitur legentis animus, & cautus minùs
Haurit venena latentia. Æquivoci sales,
Amantium suspiria, faces mutuæ,
Teneríque motus cordium motus pares
Facilè in legentibus excitant, & blandiùs
Subintrat animum, memoriæ tenacius
Inhæret, & recurrit expressus metris
Adeò politis improbus amoris furor,
Tenuíque velo allegoriæ condita,

Et

Et semitecta graviùs irritat Venus.
Mirandulanus ipse sat Comes sapit;
Perpendat ipsus, obsecro, an non sat gravi
Credat futurum scandalo hos libros suos,
Saltem pusillis. Cogitet simul, rogo,
Nimiùm tremendas judicis summi minas:
Quicunque prabet scandalum vel unico
Ex his pusillis, præstat, ut collo illius -
Picus. Non hæc pusillis scripsimus. *Bass.* Legent tamen
Etiam pusilli. An inde metuendum nihil?
Picus. Cur ergo Bassus ista non ad me priùs?
Cur laudibus tot extulit partum ingenî
Mirandulani? *Bass.* Laudibus quædam extuli,
Quæ digna laude legeram. Quin si ingenî
Acumina, & Poëticæ artis, & metri
Amœnitatem considero, adhucdum omnia
Laudare cogor. Crederem à Musis novem
Hæc scripta, Musæ virgines nisi forent.
Picus. Ignotus ergo lateat, atque pulpito
Clausus putrescat ingenî hic partus mei?
Sudorque proprius, & tot annorum labor?
Bass. Ergóne pereat sudor, & sanguis Dei,
Et tantus animæ à Numine impensus labor?
Picus. Inter tenebras jaceat æternas opus,
Quod luce dignum publica, & thure integer

Pro-

Proclamat orbis? *Baſſ.* Opera divinæ manûs
Ad aſtra cœli condita æternùm ardeant?
Et ardeant corrupta per Pici manum?

SCENA QUINTA.

Picus. Baſſus. Charyllus.

Charyll. Epiſtolam hanc mihi curſor ignotus dedit.
Pic. E Galliis eſt. Novimus ceram, & manum.
Oppignorabò proprium Baſſo caput:
Suadebit alia hæc charta, quàm quæ tu modò.
Baſſ. Non quid ego, non quid litteræ, ſed quid Deus,
Et conſcientia ſuadeat, precor, audias.
Picus. Legit litteras. *Quouſque vota tenera Muſarum omnium*
Cupido fallet? quamdiu clauſum domi,
Tacitúmque matre retinet invita pater?
Nondum politus, inquis, & bellus ſat eſt
Meus Cupido. Ah! evolet tandem! modò
De Patre lineam habeat in vultu puer,
Modò inter alas parvuli vel unica
Se Pici penna monſtret, eſt bellus ſatis.
Baſſ. Bellum nec ego negabo. Quin bellum nimis
Affirmo, ſed - *Pic.* Legamus hæc priùs omnia. *Legit.*

Legit. *Et hæc amico amicus. Accludo nova*
Ex Anglia, atque docta, quæ docti viri
Sat salsa nuper penna de docto viro,
Et Italo. Quid inde concludas vide.

Baſſ. Quis Anglus ille doctus, aut de quo Italo?

Picus. Non nominantur. Scripta fors prodent magis.

Iterum legit. *In Picum Mirandulanum Ingeniorum Phœnicem à ſuis dictum.*

Dicite, cur Picum Phœnicem dicitis? ánne
Quòd ſicuti Phœnix non parit ante necem?

Aliud. *In Cupidinem, Mirandulani Comitis partum, fruſtra hactenus exſpectatum.*

Tempore qui tanto debet lambendo poliri,
Urſi, non Pici, ſic puto, partus erat.

Audésne adhuc ſuadere, quod priùs tegam
Inter tenebras ingenii partum mei?
Quem totus orbis cupidus exſpectat diu?
Satyrásne porrò publicas in me evocem,
Non auſus orbi, & publicæ luci dare
Promiſſa dudum? Supprimam æternùm hoc opus,
Unáque famam totius noſtræ domûs
Turpe lacerari dente mordaci ſinam?

Baſſ. Non poſco tandem, ut ſupprimas totum hoc opus.

Audiat,

Audiat, & obstupescat hunc partum ingenî
Mirandulani docta Musarum cohors.
Hoc suadeo unum : relege, sed, quali decet,
Non blandienti mente tua scripta relege,
Et si quid ipse videris castum minùs,
Probísque nocuum moribus, corrige, rogo.
Et sic Cupido blandus, at castus simul,
Me nil vetante, publicam cernat diem.
Picus. Dudum relegi, & sæpius. Castum minùs,
Probísve nocuum moribus, reperi nihil.
Bassi tamen consilia, dum poscit, sequar.
Cupidinem subjicio censuræ novæ.
Charylle! Florimontius ubi? *Charyll.* Quod puto,
Hortum subivit. *Picus.* Quære, & huc ad me voca.

SCENA SEXTA.

Picus. Bassus.

Bass. Censórne Florimontius erit? *Picus.* Falleris.
Severior, & illustrior operi meo

Cen-

Cenſura petitur, nempe Roſauræ. Stu-
pes ?
Ferrarienſem Principem nôris utique?
Eſt docta ſimul, & virgo. Quod virgo
approbat
Audebit aliquis dicere pudicum minùs?
Huic ergo Florimontius Cupidinem
Dijudicandum deferet adhuc hac die.
Baſſ. Cupidinem Illuſtriſſime - - *Picus.*
Abſtine pluribus.
Promiſſa dedimus Principi, & dudum.
Comes
Mirandulanus ſtare promiſſis ſolet,
Et nobilem ſe meminit. *Baſſ.* Hæc dicta
approbo :
Promiſſa ſolvere nobilem virum decet;
Aſt utique nobilis eſſe non hodie Comes
Mirandulanus incipit? dudum fuit.
Dudum mihi Florentiæ in te nobilem,
Stirpíſque nobiliſſimæ aſtrum cernere,
Atque venerari licuit. *Pic.* Et quid hæc
ſibi?
Baſſ. Quòd nempe pariter ſtare promiſſis
decet
Dudum datis Florentiæ. *Pic.* Florentiæ?
Baſſ. Eſto memor Illuſtriſſime, quid annis
abhinc
Septemdecim, præſente me, promiſeris
Ipſas ad aras Virginis Matris Dei:
Nempe ſtudiorum Præſidem hanc unam
tibi

Palam

Palam eligebas addito voto pio:
Si prona porrò cœlica hæc Pallas tuis
Studiis faveret, digna si ingenio tuo,
Et stirpe vota impleret, huic uni sacrum
Mirandulani Principis calamum fore,
Pennámque Pici publicis etiam libris
Celebraturam nomina suæ Palladis.
Implevit alma Mater, implevit tua,
Imò superavit vota. Vel juveni tibi
Scientiarum copiam, & tantam quidem
Infudit, ut mirentur attoniti senes,
Picúmque tota Europa Phœnicem vocet,
Qui in orbe solus non habet parem sibi.
Solvísne pariter vota facta huic Palladi?
Te nobilem memento. Promissis Comes
Mirandulanus stare consuevit. **Picus.** Fidem
Magnæ Parenti, & Palladi datam suæ
Mirandulanus, ne ambigas, solvet Comes,
Et penna Pici Virginis laudes brevì
Scriptura jam jam prurit, & vocat manum.
Bass. Detrita postquam fuerit in laude Cypridis?
De matre Paphia sex priùs edet libros,
His Matre de purissima tomum ultimum
Adjiciet? O quàm denique applaudet sibi
Divina Virgo, nacta communem sibi

O Cum

Cum Venere vatem! Parce, ſincerus lo-
quor,
Et candidè, ſic juſſeras ipſus priùs.

SCENA SEPTIMA.

Accedit Perſonis prioribus Charyllus.

Picus. Adéſtne Florimontius? *Charyll.* Nondum. Alvari
Pediſſequus repoſcit in cubiculo,
Quam neſcio, relictam iconem. *Picus.* Nempe ſtatuam
Delineatam. Redde poſcenti. *Baſſ.* Licet
Etiam mihi videre? * *Picus.* Si quidem lubet,
Argenteam nempe ſtatuam Matri Dei
Erigere ſtatuit Alvarus voti reus.
Baſſ. Laudo pietatem; at pariter eſt voti reus
Mirandulanus. Num audet affinis ſequi
Exempla? *Picus.* Baſſe, crede, non ſtatuam modò,
Sed integram aram, forſan & templum integrum,
Et ſplendidum, tantáque dignum Virgine
Mirandulanus ponet. *Baſſ.* At poſtquam priùs
Erexerit trophæa in orbe publica

* *Tradit Baſſo videndam ſtatuæ delineationem.*

Cupi-

Cupidini, Veneríque? nunc, nunc in manu est,
Quod statuâ, & arâ splendidâ, & templo integro
Magìs placebit Virgini purissimæ:
Si nempe partum Veneris impurum opprimas.
Aliquótne chartas Virginis amori negas
Demum immolare? & Virgini de te, & tuis
Adeò bene meritæ? *Pic.* * Pete omnes hos libros,
Aulæa, vasa argentea, & gemmas pete,
Et quidquid omni in arce pretiosum latet,
Hæc cuncta promptus Virginis amori dabo.
Unum relinque mihi Cupidinem meum.

* *Ostendit Basso bibliothecam &c.*

Bass. Aulæa, vasa argentea, & gemmas tuas
Ditissima Poli Domina neutiquam petit.
Periculosum mentibus castis librum
Luce prohiberi publicâ Virgo petit.
Aut hoc placebis munere, aut nullo. *Pic.* Labor,
Sudórque tantus pereat? *Bass.* Optâssem quidem,
Ut collocâsset meliùs ingenii sui
Doctos labores Picus. Annos tot dedit
Cupidini, Veneríque; sed poterit tamen
Et hos labores perditos sibi utiles

Perdendo facere. *Perdita juvabit Venus.
Ipse hic tuus Cupido male castus licèt
Tandem placebit Virgini, si Virgini
In victimam immoletur. *Picus*. Alias victimas
Et puriores Virgini Picus dabit.
Jam nunc manus admoveo, jam meditor pium,
Plenúmque Divæ Virginis laudibus opus,
Nostróque sumptu publico dandum typo.
Bass. Ergo prohibere publico debes priùs
Laudes pudendæ Veneris. An cum cypria
Meretrice vatem Virgo communem sibi
Optare poterit? ipsus, oro, hæc pondera,
Et mente sana. *Picus*. Non capis, quid denique
Sit esse patrem. Credito, nemo patrum
Amore tanto prosequi natum potest,
Ut Picus amat hunc ingenî partum sui.
Bass. Quò major amor est in tuos partus, eò
Victoria erit illustrior, eò dignior
Mirandulano Comite. Quàm gratum Polo
Spectaculum, mactatus à manu patris
Amore Matris filius. *Pic.* Tantus labor,
Et nomen immortale, quod spondet datus
Luci Cupido, pereat? & Satyris novis
Ubique velut abortus infelix opus

Hoc

Hoc nobile laceretur? *Baff.* At majus tibi,
Illuftriúsque nomen, & apud Cœlites,
Hominésque fanos gloriam æternam dabit
Herous animus proprium in partum piè
Ferox amore Numinis, *Pic.* Partum hunc meum
Exfpectat orbis totus in lucem datum.
Orbísne fallam vota? *Baff.* Falles propriam,
Dudúmque Dominæ Cœlitum datam fidem?
Picus. Amice, dixi, neutiquam fallam fidem.
Quod magna Domina Cœlitum exfpectat, dabo,
Nempe Marianis laudibus plenos libros.
Baff. Perde ergo falibus cypriis plenos libros:
Determina Illuftriffime, & tandem elige,
Vates Mariæ, an Veneris effe mavelis:
Nam calamo eodem utramque celebrari nefas.
Jam dicta repeto: refpuit cum cypria
Meretrice vatem Virgo communem fibi.
Si Virginem vis canere, de Cypride file,
Si Cypridem, de Virgine æternùm file.
Picus. Ah Baffe, quas me conjicis in anguftias?

Baff. Audeto tandem quidpiam dignum indole
Mirandulani Principis, dignum tua
Virtute, dignum amore, quo dudum flagras
In Virginem purissimam, & Matrem tuam.
Promitte, nunquam publico dandos typo
Periculosos mentibus castis libros,
Et hoc amore Virginis castissimæ.
Ut video, trepidas, nimia deposco. Levius
Quid igitur à te flagito? saltem moras
Fer perbreves. Cupidinem trade manui
Doctæ simul probæque, quæ dijudicet,
Et corrigenda corrigat. Sic purior,
Et absque noxa publicam in lucem tuus
Cupido tandem prodeat. Operam meam
Promptus, lubénsque defero. *Picus.* In Bassi manus
Cupido nunquam veniet.

SCENA OCTAVA.

Bassus solus.

Abscedit. Fremens,
Dolénsve, nescio. Timeo. Causam tuam
Age ipsa Mater Diva. Tentavi omnia,
Sed, ùt videtur, hactenus frustra. Nimis

Amore

Amore tenero fertur in prolem suam
Mirandulanus. Avidus est famæ nimis.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Alvarus. Bassus.

ALv. Quid Picus? an Cupidinem manibus tuis
Commisit? *Bass.* Actum est. Prodita fuêre omnia
Consilia nostra. *Alv.* Prodita? à quo? *Bass.* Nescio.
Alv. Quid ergo agendum? *Bass.* Consilii mihi nil super.
Florentiam revertor. Id saltem Alvarus
Studebit impedire, ne Ferrariam
Cupido transportetur. *Alv.* In cujus manus?
Bass. Ferrariensis Principis. *Alv.* Rosauræ? *Bass* Ita.
Jam destinavit Picus, & animo quidem
Firmissimo. *Alv.* Si fœminæ in manus venit
Cupido, non latebit in tenebris diu.
Quin latiùs spargetur infamis liber,
Quàm si daretur publico Romæ typo.

Baß. Hoc igitur impedire si queat Alvarus,
Tentabit; at vix quidpiam spei super.
Cupidinem dimittet hac adhuc die,
Tradétque Florimontio.

SCENA SECUNDA.

Alvarus. Bassus. Florimontius.

Flor. - - - Méne fugitis?
Omnes amici jam, atque concordes sumus.
Decisa controversia est à judice
Omnino sapientissimè. Ad votum Alvari
Pronuntiavit Bassus. *Alv.* Ego de judice
Non conqueror, sed - *Flor.* Nec ego conquerar, licèt
Fors nomine meæ Principis possem, cui,
Quem tamdiu exspectaverat, Cupidinem
Hac luce Bassus præripit. Spero tamen
Cupidinem Florentiæ impressum brevi
Ferrariæ videre, & exactissimæ
Correctionis aliquod exemplum à tua
Humanitate exspecto: námque opera tua,
Studióque tandem publicum subit typum
Cupido. Nunquid potero Principi meæ
Hanc spem referre? *Baß.* Principi tuæ refer,
Quidquid placebit. *Flor.* Principi quidquid placet,

Si

Si ferre Florimontius posset, hodie
Cupidinem referret. At Picus negat
Manibus meis committere thesaurum suum.
Basso hunc reservat. Nunquid in manus tuas
Jam tradidit? num dubitat? aut forsan timet,
Ne Bassus hunc Cupidinem Florentiæ
Non imprimat, sed supprimat? de Clerico
Num suspicari quampiam fraudem audeat
Mirandulanus? *Alv.* Desine illudere. Tua
Necdum manu Cupidinem Pici tenes.
Si possit aliquid Alvarus -

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedit Picus.

Picus ad Florimont. - - Ferrariam
Diu cupitum Principi tandem tuæ
Cupidinem deferre si velis, veni,
Et accipe. *Flor.* Hunc exspectat Bassus, puto,
Ut publico Florentiæ tradat typo.
Picus. Promissus est Cupido Rosauræ prior.
Mirandulanum stare promissis decet.

Alvar. Affinis ! *Baff.* Illuſtriſſime ? *Picus.* Abſtine pluribus.

** Aperitur Muſæum. Foco ardenti injecta videntur chartæ.*

Mirandulanum ſtare promiſſis decet. *
Flor. Quid hìc video ? *Pic.* Cupidinem injectum foco.
Hac luce dignum judicat partum hunc Parens.
Jam ſi placebit colligere cineres, potes,
Cupidinémque Principi tandem tuæ
Deferre. *Florim.* Conſultoribus cedo tuis,
Hæc debita illis ſpolia de Cupidine,
Famáque Pici, & gloria illuſtris Domûs,
Tam glorioſè denique triumphantibus,
Hoc addo ſolùm in pectore meæ Principis
Omnes amoris mutui in Picum faces
Hæc una fax extinxit. * *Picus.* Extinctas precor.

** Indignatus ſe proripit Florimontius.*

Jam puriore pectus hoc flagrat face.
En Baſſe, ſolvo Virgini datam fidem,
Primóſque partus Ingenî, & primum librum,
Quem penna Pici ſcripſit, illi conſecro.
Nec Virgo ſpernet victimam impuram licèt,
Flammâ expiatam luſtricâ. *Baſſ.* O gratum polo
Spectaculum ! *Alv.* Quàm gratulor tantam tibi
Victoriam ! Jam non *triumphans* improbè
Cupido, ſed piè *triumphatus* parit
Mirandulano nomini æternum decus.

Baſſ.

Baſſ. Nunc jure Picum Italia *Phœnicem* Poteſt
Vocare, dum Phœnicis inſtar è rogo
Structo ſibimet clarior prodit, novam
Ab igne, quo combuſtus eſt, vitam trahens.
Hæc flamma, quæ conſumpſit hos libros, novo
Mirandulanam lumine illuſtrat Domum.
Picum canentem ſæculum præſens ſtupet.
Picum ſilentem poſteri ſeri canent.
Picus. Fateor amici. Ipſus homo mihi videor novus,
Et totus immutatus. Ex quo Cyprias,
Minúsque puras paginas flammis dedi,
Jam puriores ſentio flammas meo
In pectore exardeſcere, & quantùm pudet
Fuiſſe vatem Veneris impuræ hactenus,
Tantùm ſtudebo impoſterum, ut vates pius,
Purúsque ſolam Virginem Picus canat.
* Ardete chartæ, ardete, per vos ne ardeam,
Mecúmque plures ardeant animæ piæ!
* Quam ſemiaduſtam paginam manu tenet
Affinis? igni tradé. Nec apicem quidem
Supereſſe patiar de improbo Cupidine.
Alv. Quin paginæ huic amice parcamus, cui
Pepercit ignis, idque non temerè. Lege.
Baſſus legit. *Matris amabilis amabiliſſimo Filio*

** Aliquot chartas, nondum exuſtas flammis altius intrudit Picus.*

** Aliā chartam ſemiuſtam*

Alvarus humo levat, & legit tacitus.

Filio hunc partum suum D. D. D.

Picus. Sile, obsecro, Cupidini infami pudet
Hæc consecrâsse. At revoco blasphema nimiùm
Hæc verba. Parce Virgo, dum titulos tibi,
Tuóque Nato debitos monstro stygis
Inscribere haud sum veritus. Ejuro nefas.
Fœda laceretur pagina. *Bass.* Imò pagina
Hæc sola maneat opere de toto super,
Et in Sacello Virgini Divæ sacro
Appensa ad aras testis æternus fiat,
Cui consecrârit denique labores suos,
Partúmque primum Picus. Uni scilicet
Puræ Parentis Filio purissimo.
Alv. Quin paginam mihi cede. Statuæ argenteæ,
Quam Filio, Matríque Divinæ erigo,
Inclusa seris posteris nostræ Domûs
Testetur una Epigraphe vota gemina:
Matris amabilis amabilissimo Filio
Partum suum dedicat
Mirandulanus nempe Picus, & simul Alvarus
De Castrio, & Phœnice. *Bass.* Quin mirum quoque
Præsens imago convenit gestæ rei. *
En inter ignes Picus, ùt Phœnix nitet.

* *Delineationem statuæ.*

Miran-

Mirandulani Comitis illustre ectypon.
Pic. Arderet utinam Picus, & totus sacro
Absumptus igne viveret vitam novam
Phœnicis instar! titulus hic quantùm foret
Mihi gratior, quàm dum Ingenî Phœnix vocor.
Divina Mater impetra hanc mihi gratiam,
Amore sacro ut ardeam, fac, ut tua,
Tuíque Nati, quamvis indignus, tamen
Tutus quiescat Picus & Phœnix manu.

quam Alvarus secum habebat, Bassus ostendit.

O. A. M. D. G.



GULA PUNITA.

ARGUMENTUM.

OTtomannus Turcarum Imperator in hortis suis ex arbore, quam in deliciis habebat, decerptum pomum advertit: suspicio ablati fructûs in neminem cadere poterat, nisi in tres ephebos, qui soli cum Imperatore fuerant; cùm tamen factum omnes tres pertinaciter negarent, iratus Tyrannus jussit puerorum ventres aperiri, ac nisi in primi statim stomacho pomi reliquiæ fuissent inventæ, pœna in omnes transiisset. Tanti gula stetit. *Campofulgosus, & ex eo P. Joannes Niess in Alphabeto Diaboli.*

Scena ponitur Constantinopoli in horto Imperatorio.

PER-

PERSONÆ.

Achmet, *Præfectus Epheborum.*

Amurath, *Aulicus recens ex Ephebis, & apud Imperatorem gratiosus.*

Osmannus, Bajazethes, Selimus, } *tres Ephebi, quos premebat suspicio furti.*

4. *vel* 6. *alii Ephebi.*

Bostangus, *Hortulanus.*

Dattlus, *Bostangi filius.*

4. *vel* 6. *mancipia ad labores in horto destinata.*

ACTUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Osmannus. Selimus. Bajazeth.

Scena exhibet hortum Imperatorium.

Selim. O si Imperator Turciæ forem!
Bajaz. Puer
Superbe nimiùm! tu Imperator Turciæ?
Osm. Et quid ageres novus Imperator Turciæ?
In quem moveres bella? *Selim.* Bella? nemini
Bellum cupio movere. Gratius aliquid
Totum occuparet. *Osm.* Et quid illud?
Selim. Hortus hic,
Et quæ hoc in horto poma conspexi modò.
Hæc Imperator si forem, consumerem,
Et devorarem solus omnia. *Osm.* Omnia!
Nobis nihil concederes? *Selim.* Forsan tibi
Subinde pomum. *Bajaz.* Sed mihi?
Selim. Prorsus nihil;
Quia denegâsti & nuper ficus mihi,
Quas plurimas donaverat tibi Amurath.
Bajaz. Sic vindicas te? *Selim.* Cæterùm præ fructibus
Cunctis placeret unicus. Vides ibi

Arbu-

Arbusculam hanc Osmanne? fert pomum unicum,
Sed quale! quantùm pruriunt dentes mihi!
Ægrè manum contineo. decerpere- *Osm.* Cave!
Non suaserim. Hæc arbuscula est, quam propria
Plantavit Imperator haud pridem manu,
Et primus iste fructus. Haud ulli licet
Vel tangere. *Selim.* Scio; hinc Imperator Turciæ
Vellem esse. Sic non tangere liceret modò,
Sed integrum vorare.

SCENA SECUNDA.

Achmet, & qui priùs.

Achmet. - - Adestis? *Osm.* Ut vides.
Bajazeth. Jámne Imperator subiit hortorum intima?
Selim. Libenter illi colloquar. Habeo plurima,
Quæ deferam. *Achmet.* Quid deferes? *Selim.* Contra improbos,
Atque petulantes quospiam pueros, quibus
Nimiùm faves, & omnia indulges. *Achmet.* Puer!
Cui loqueris? accusare Præfectum tuum?

P *Selim.*

Selim. Ignosce, non te, sed tuos pueros modò
Deferre jure meditor. *Bajaz.* An putas, tibi
Loquetur Imperator? *Selim.* Et cur non? semel
Jam mihi locutus est in hoc horto. *Achmet.* Tibi?
Selim. Ita mihi. Nuper nempe, dum sub vesperam
Hortum subiret solus, & in limine
Stans occuparem januam, inflixit alapam:
Ex pedibus, inquit, trossule, ex pedibus puer.
Bajaz. Gratulor honorem. *Selim.* Nunquid eximius honor
Est Imperator tam familiaris mihi?
Achmet. Ubi domum redieris, etiam me tibi
Poteris familiarem experiri. Jam interim
Subsistite in vicinia, donec vocem.

SCENA TERTIA.

Osmannus. Selimus. Bajazeth.

Selim. Utinam brevì nos Imperator evocet!
Jam stando, & ambulando fessus sum nimis.

Osm.

Osm. Ergo quiesce nonnihil. *Selim.* Pomum ! ô nimis
Suave pomum ! nequeo - *Osman.* Ne tentatio
Te vincat, hinc recede. *Selim.* Non audeo procul
Secedere, hic nos stare Præfectus jubet.
Bajaz. Ita est. *Osm.* Securus esto, ego te in tempore
Monebo, & excitabo. Cernis sylvulam,
Hujus sub umbra dormies suavissimè.
Selim. Tentabo, sed vix dormiam; in somnis quoque
Pomum recurret animo. Et ô utinam mihi
Vel somnianti occurreret, sed firmiter,
Quòd sim Imperator Turciæ, & pomum meis
Sub dentibus, vel gutturi immersum hæreat:
Quàm suave foret hoc somnium!

SCENA QUARTA.

Osmannus. Bajazeth.

Osman. . . . Puer
Iste graviter tentatur. *Bajaz.* Haud miror; etiam
Ego tentor, & vix abstinet fructu manus,
Ita allicior, urgente præsertim siti.

O quàm refrigeraret hoc pomum aridas,
Siccásque fauces. *Osman.* Tanta si sitis
premat,
En! ex sinistro latere, non adeò procul
Uvas, rubras, & candidas, prout voles.
Bajaz. Anne licet has decerpere? *Osman.* Absque scrupulo.
Bajaz. Tamen vetat lex nostra vinum
sumere.
Osm. Vinum vetat lex nostra; non uvas.
Bajaz. Putas?
Osm. Nam si vetâsset Mahomet uvas
sumere,
Cur Imperator ipse, & in horto suo
Plantare vites voluit, & tot sumptibus
E tam remotis jussit afferri plagis?
Bajaz. Dicis aliquid. *Osm.* Quin ipse Præfectus (sed hæc
Soli tibi) Præfectus ipse noster - *Bajaz.*
An
Decerpsit uvas? *Osm.* Non modò uvas,
sed merum
Merissimum huc è Gallia allatum bibit.
Bajaz. Ergo & mihi licebit uvas decerpere.
Osm. Et tutiùs, quàm poma. Perge igitur, sitim
Restingue plenis vitibus. *Bajaz.* Sed si
interim
Forsan vocemur, quæso, me moneas
citò.

Tibi

Tibi quoque si vis, aliquid ex vite
afferam.

SCENA QUINTA.

Osmannus solus.

Non sitio, magis esurio, sed suavem dapem.
Non careo gustu, arridet & pomum mihi,
Tentátque dudum; sed domabo facillimè
Tentationis impetum. Pomum citò
Invado, carpo, devoro, nemo videt.
Age belle fructus, impigrè hunc stomachum subi.
At si Imperator resciat? væ, væ mihi!
Sed quomodo poterit rescire? nemine
Vidente me? nam nemo me, nemo videt.
Sum solus. Euge! audacter. - Ast in me tamen
Suspicio poterit cadere. - Suspicio nihil
Probare poterit, testis ubi nullus, & ego
Negabo, pernegabo furtum strenuè.
Audacter anime! nemo te videt. - Puto,
Se movit aliquid. - - Panicus tantùm timor.
Nil ullibi conspicio. Tantùm ad rem, videt
Me nemo. * Io, Victoria! ô pomum aureum,
Exosculor te millies. Nares odor
Quàm suavis afflat! suavior tamen sapor

* Decerpit pomum.

Avidum replebit guttur. Eja! exserite
Dentes furorem, invadite. At tutius erit
Recedere hinc, suspicio ne ulla me premat,
Decorticabo tutiùs pomum hinc procul,
O fructus auree! mellee! corculum meum!

PARS ALTERA.

SCENA PRIMA.

Achmet. Bostangus. Dattlus.

Bost. Ipsus vides nullum ampliùs in arbuscula
Pendere fructum. *Dattlus.* Nullus est dubio locus,
Clepsêre Ephebi, præter hos nemo adfuit.
Achm. Ast ubi modò sunt? jusseram hìc subsistere.
Dattlus. Vidi per hortum hinc inde currere. *Achm.* Advoca. *
* Abit Dattlus.
Jámne Imperator novit hoc furtum? *Bost.* Diu
Non poterit ignorare. Vidit Amurath
Abesse pomum: cuncta Sultano solet
Statim referre hic Amurath. Væ! væ mihi!
Námque Imperator hoc pomum æstimat

Præ mille gemmis. *Ach.* Nempe, quia propria manu
Plantavit hanc arbusculam, & primus fuit,
Solúsque fructus, quem modò ablatum gemis.
Bost. Quantùm Imperator sæviet, fremet, furet!
Et denique furor omnis in caput meum
Licèt innocentis recidet. *Achm.* Esto animo bono.
Fur illico patebit.

SCENA SECUNDA.

Achmet. Bostangus. Selimus.

Selim. - - O suavissimum
Pomum! Nequeo diutiùs - *Achm.* Quid tu puer
De pomo? *Selim.* Ubi est Osmannus? Ignosce Domine
Præfecte, nam promisit, & sanctè quidem,
Quòd me excitare velit in adventu tuo.
Achm. Non de excitando quæro. Sed suavissimum,
De quo modò locutus es, pomum ocyùs
Ostende sis. *Selim.* En ibi! *Ach.* Ubi? *Selim.* Nil video ampliùs.
Jam jam Imperator, credo, decerpsit. *Achm.* Puer

Negare quidquam audebis? Excute sacculos
Bostange. * *Selim.* Num pecunias quaeris? nihil,
Nec nummulum unicum habeo. *Bost.* Reperio nihil,
Jam devoravit nempe. *Achm.* Fateare, mone),
In tempore fateare. *Selim.* Quid? *Achm.* Pomum unicum
Arbuscula hac dependulum ut decerperes,
Quis suasit, aut concessit? *Selim.* Ut decerperem,
Quis suaserit? color ipse candidus, & ruber,
Et sub colore conditus tali sapor.
Suasit utique, ut decerperem, & cum gaudio
Mox devorarem. *Bost.* An igitur hoc pomum integrum
Jam devorâsti? *Selim.* Si Imperator Turciae
Essem, sine dubio vorâssem, sed quia
Non sum Imperator, neutiquam sum ausus levi
Tantùm manu contingere. *Achm.* Tetigit tamen,
Et clanculum decerpsit haec clepax manus.
Meus iste minimus digitus, & nasus tuus
Te prodiderunt, atque te furti reum
Uterque dicit. *Selim.* Ergo digitus hic tuus,

* Sacculos perscrutatur Bostangus.

Meus-

Meúsque nasus mentiuntur. *Bost.* Innocens
Puer hic videtur. *Achm.* Ergo de sociis tuis
Clepsit aliquis? quis ille? noveris utique,
An Bajazeth, an Osmannus? *Selim.* Ipse Bajazeth
En prodit, ipsum interroga.

SCENA TERTIA.

Accedit prioribus Bajazeth.

Bajaz. - - - Quantus sapor!
An jam vocamur? *Achm.* Ita vocaris. Bubulum
Bostange nervum huc. Jam moneo: noli puer
Negare quidquam. Qualis hic tantus sapor?
Eloquere. *Bajaz.* In illo, quem, siti nimium gravi
Urgente, decerpsi priùs fructu. *Achm.* Hunc ubi
Clepax manus decerpsit? *Bajaz.* In - in horto hoc. *Selim.* Puer
Attende. Væ tibi! *Bost.* Devorâsti jam integrum?
Bajaz. Osmannus affirmavit omnino omnibus
Licere tales carpere, & consumere

Fructus sine omni scrupulo. *Bost.* Igitur integrum
Jam devorâsti? væ mihi! *Bajaz.* Tantùm unicum.
Achm. Tantùm unicum! *Bajaz.* Quod restat,* hoc volui modò
Deferre Sociis. *Bost.* Igitur aliquid tibi adhuc
Restat? *Achm.* Ubi? mox ostendito, *Bajaz.* Hoc in sacculo,
Achm. Ostendito. *Bost.* Sine, extraham. * *Selim.* Væ! væ tibi.
Achm. De vite fructus est hic. *Bost.* An aliud nihil
Furatus es? *Bajaz.* Quid aliud? *Achm.* Hæc arbuscula,
Et fructus inde pendulus nunquam tibi
Est visus? an non sapuit? *Bajaz.* Utique plurimùm,
Nihil negabo, urgente præsertim siti
Sapuisset.

* *Bostangi extrahit è sacco Bajazethis uvas.*

SCENA QUARTA.

Personis prioribus accedit Amurath.

Amur. ad Achm. Imperator te vocat, Citò.
Negotium urget. *Achm.* Obsequor. Puerum interim
Bostange clausum proxima in domo tene.
Exa-

Examinabo pluribus furem redux.
Bajaz. Ah! ſupplica pro me Amurath. *Boſt.* Nihil, nihil.
Ad carceres cum furibus.

SCENA QUINTA.

Amurath. Selimus.

Amurath. - - Num Bajazeth
Sit impudens fur ille, qui pomum abſtulit?
Selim. Ego neſcio, ſed ipſe furtum non negat.
Amurath. Infauſte nimiùm Bajazeth! ſed me quoque
Improvidum; qui detuli furtum, antequam,
Quis author eſſet, reſcii! *Selim.* Nunquid [illegible]les
Quod Bajazethes corculum tuum unicum
Ad carceres abſtractus eſt? *Amur.* Quid nunc agam?
Nec deprecari audebo, nec - -

SCENA SEXTA.

Amurath. Selimus. Oſmannus. Dattlus.

Selim. - - - - Tandem venis?
Ubi fuiſti? ſciſne jam, quòd Bajazeth
Ab-

Abreptus est ad carceres furti reus?
Osm. Quia nempe pomum hinc abstulit?
Condoleo. Sed -
Amur. Et unde pomum noscis ablatum?
Osm. Puer
Hic omnia enarravit. *Dattlus.* Est falsissimum,
Mentiris. Hoc non dixi ego, quod Bajazeth
Sit ille fur, qui clepserit pomum, sed hoc
Dixi, quod unus ex Ephebis clepserit,
Et fortè tu ipsus. Nunquid? *Amur.* Et ego faciliùs
De te ista, quàm de Bajazeth crederem.
Osm. Tamen absui procul hinc in angulo intimo
Horti profundùm dormiens. Nunquid puer?
Dattlus. Hoc est quidem verissimum. Vidi te humi
Instar bovis prostratum, & etsi altissima
Te voce ter vocaverim, nihil tamen
Audire visus es. *Osm.* Quia altùm dormii.
Dattlus. Donec tutudi calcibus pigrum latus,
Tum denique vigil factus es. *Osm.* Id ipsum probat
Utique innocentem, & nullius furti reum:
Nam dormiens nil utique furari potest.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

Personis prioribus accedit Bostangus.

Amur. Bostange, num deprensus est certò reus
Furti impudentis Bajazeth? *Bost*. Carptas quidem
Uvas fatetur candidè, at pomum negat
Se vel manu tetigisse. *Osm*. Quis alius nefas
Tantum ausus esset? *Bost*. Unus ex vobis tribus
Quiscunque sit, fors tu ipse. *Amur*. Permitte, obsecro,
Ut Bajazethi colloquar. Si sit reus,
Certè mihi fatebitur. *Bost*. Poteris loqui.
Comitare Dominum Dattle, & ad domûs fores,
Ne captus elabatur, attentus cave. *
Ego debita instrumenta, nervos bubulos,
Novásque virgas, flagra, vibices paro,
His exprimetur veritas. Væ tergori
Vestro insolentes.

* *Abit cum Amarathe Dattleio.*

SCENA

SCENA OCTAVA.

Osmannus. Selimus.

Selim. - - - Cui minatur iste vir?
Osm. Tibi, mihique, & Bajazeth. *Selim.* Cur mihi?
Osm. Cùm Bajazeth negaverit manu sua
Ablata poma, suspicio nos jam premet.
Licèt innocentes sumus, ad examen tamen
Trahemur, & rigidissimum examen. Flagris,
Scuticisque lacerabimur uterque, ut exprimant
Confessionem. *Selim.* Territas terribiliter
Licèt innocentem. *Osm.* Hinc sequere consilium meum:
Dic nempe te vidisse, & his oculis tuis
Vidisse. *Selim.* Quid? *Osm.* Quòd Bajazeth pomum sua
Hodie manu decerpserit, & hoc in loco
Ex proxima hac arbuscula. *Selim.* Est falsissimum.
Nihil ego vidi. *Osm.* Dic tamen. *Selim.* Mendacium
Hoc esset. *Osm.* Et quid inde? *Selim.* Scis, mendacium
Gravissimè prohibuit, & gravissimè,
Si resciat, punire Præfectus solet.

Osm.

Osm. Si resciat, concedo; sed non resciet.
Quoties ego! plùs millies, & strenuè
Quidem fui mentitus. *Selim.* At graviter quoque
Punitus? *Osm* Imò debitam pœnam mihi
Ita mentiendo strenuè evasi: nihil
Ergo timeto Selime. Audacter hodie
Est mentiendum utrique. Solus Bajazeth
Furti reus credatur. *Selim.* At negat. *Osm.* Duo
Testes valebunt utique contra unum? *Sel.* An igitur
Tu mentieris pariter? *Osm.* Ita necessitas
Nos cogit. *Selim.* Necessitas quò me trahis!
Sit ergo. Mentiar hodie prima vice.
Osm. Et si fidem tribuere Præfectus tuis,
Meisque verbis nolit, etiam strenuè
Jurando confirmabimus dicta. *Selim.* An licet
Jurare? *Osm.* Si necessitas cogit, licet.
Selim. Sed quomodo jurabo? *Osm.* Per legem, & sacra
Volumina Mahometis, & cœlum, & stygem.
Præibo verba. Attende: *Juro per sacra
Volumina Mahometis, & cœlum, & stygem.
Ni verà dixi, fulmen hoc feriat caput,
Vivúmque tellus devoret.* Repete modò

Audita.

Audita. *Juro.* *Selim.* Juro. *Osm.* *Per legem, & sacra*
Volumina Mahometis. Hæres? an times
Jurare me præeunte? *Selim.* Per legem, & sacra
Volumina Mahometis. *Osm.* *Et cœlum, & stygem.*
Prosequere tantùm audacter. *Selim.* Et cœlum, & stygem
Osm. *Ni vera dixi.* - *Selim.* Vera si dixi. *Osm.* Stupor!
Ni vera dixi, fulmen hoc feriat caput.
Selim. Ni vera dixi, fulmen * hoc feriat caput.
Osm. Non sic. Tuo de capite dicas: *fulmina*
Feriant caput meum. *Selim.* Caput feriant tuum.
Osm. Meum, meum dic, non tuum. *Selim.* Dixi: tuum.
Osm. Inepte! sic dic: vera ni dixi, precor,
Ut fulmen illico Selimi feriat caput.
Selim. Non, non. Ego hoc non dico. Si caput meum
Fulmina ferirent! *Osm.* Pone pueriles metus.
Jam provocavi millies meum in caput
Plùs quàm trecenta fulmina, & nunquam tamen
Tetigere me vel leviter. *Selim.* Ego non audeo

* *Digitum intendit in caput Osmani.*

Jurare.

Jurare. *Osm.* Desine igitur. Hoc dicas tamen
Vidisse te, quod Bajazeth & hoc in loco
Manu sua decerpserit pomum. Nisi
Tormenta mox adhibenda mavelis pati.
Selim. Si velis, equidem mentiar, sed neutiquam
Jurabo. Timeo fulmina, ut nihil magis.
Osm. Veni ergo, prævenire Præfectum juvat.

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

Bostangus. Ephebi 6.

Bost. * Hîc state utrinque in ordine. Anne omnibus
Jam distributa poma? *Eph. 1.* Nullum ego peto.
Eph. 2. Ego tibi reddo. *Eph. 3.* Nam cui poma placeant
am putrida? *Eph. 4.* Recipe pariter & nostra, & dehinc
Cessato Ephebos ludere. *Bost.* Mea corcula,
Non ludo vos; Præfectus hæc vobis jubet
ribuenda. *Eph. 1.* Poma putrida tantùm? *Bost.* Scilicet

* Bostangus fert corbem plenum pomis putridis, quæ Ephebis distribuit.

Certos in usus. *Eph. 2.* Quos in usus servient?

Eph. 3. Porcos Ephebi fortè pascamus? *Bost.* Redux

En ipse vos docebit.

SCENA SECUNDA.

Achmet. Ephebi. Bostangus. Selimus. Osmannus.

Sex mancipia nervis bubulis, & scuticis armata.

Achm. Adestis omnes? *Ephebi.* Adsumus. *Eph 1.* Quid nos jubes?

Bost Jam distributa, ùt jusseras, poma omnibus.

Eph. 2. Sed putrida tantùm. Cerne. *Achm.* Sic ego jusseram.

Ad mancipia. * Vos pariter hinc utrinque consistite. Manus

An omnium est instructa nervis bubulis, Vibicibus, scuticisque? *Mancip. 1.* Quos ex his jubes

* Ferire pueros? *Mancip. 2.* Nunquid omnes hos simul?

Mancipia sorripiunt pueros. *Manc. 3.* Venite. * *Ephebi omnes excepto Selimo, & Osmanno.* Misericordia! Misericordia!

Ah

fus Ah Domine! Misericordia! *Eph. 1.* Quid enim egimus?

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedit Amurath.

Amurath. Quid clamor iste flebilis? quid vult sibi
Hic apparatus? *Achmet.* Gaudeo, testem mihi
Adesse, quàm fideliter jussa exequar.
Exempla jam statuenda, queis pueri improbi
Meliora discant sapere. Vos * igitur meos
Servate nutus, cùm dedero signum, illico,
Quemcunque designavero, comprendite;
Scuticis, flagris, vibicibúsque cœdite
Usque ad necem. Vos * interim dum cœditur
Puer ille, poma putrida in faciem rei
Jactate plenis manibus, ut pomis luat,
Per poma qui peccavit. Adducat reum
Bostangus. * *Eph. 1.* O si nullus ex nobis reus,
Implebimus mandata strenuè. *Eph. 2.* Mihi
Jam redde pomum. *Eph. 3.* Reddite & mihi.
Omnes reliqui Ephebi. Et mihi.

* *Ad Mancipia.*
* *Ad Ephebos.*
* *Abit Bostangus.*

Osm. Nobis duobus pariter. *Amurath.*
Achmet unicum
Permitte, quæso, verbulum. Vos cedite
Tantisper hinc; námque habeo, quæ soli
loquar.

SCENA QUARTA.

Achmet. Amurath.

Achm. Divino jam, quid Amurath velis;
preces
Pro Bajazethe nunquid interponere?
Desiste, quæ Imperator ipsus in reum
Supplicia justè statuit, hæc Achmet ne-
quit
Remittere, aut mutare. *Amurath.* Pro
reo nihil
Ego deprecabor; sed tibi an constat
reus?
Achm. Ipsus fatetur Bajazeth, se- *Amu-
rath.* Uvas quidem
Clepsisse se fatetur, at pomum negat.
Achm. Neget, duobus testibus convin-
citur.
Amurath. Queis testibus duobus? *Ach-
met.* Osmanno simul,
Et Selimo. *Amurath.* Pueris duobus? sunt graves

Omni-

Omnino testes. *Achmet.* In puerum utique pueri
Testes sat graves. Viderant hi oculis suis,
Dum poma clepsit Bajazeth, & hoc in loco,
In proxima hac arbuscula, an vis ipsemet
Audire testes? advoco. *Amurath.* Solum priùs
Adesse jubeas Selimum. *Achm.* Huc citò Selime.

SCENA QUINTA.

Achmet. Amurath. Selimus.

Amurath. Quis poma clepsit? *Selim.* Bajazeth, id oculis meis
Vidi ipsus. *Amùrath.* Ergo pariter es furti reus,
Quia non monebas, ut prohibito Bajazeth
Pomo abstineret, meritus es pœnas pares,
Scuticásque connivendo furto tam improbo.
Selim. Quomodo monerem, qui abfui inde tam procul?
Achmet. Ubi ergo fueras, quando decerptum arbore
Pomum est? *Selim.* Ibi, scis sylvulam amœnissimam

Ex latere dextro? *Achm.* Scio. *Amurath.* Quid hac in sylvula
Tu? *Selim.* Nempe fessus plurimùm umbram quæsii.
Amurath. Et hac sub umbra? *Selim.* Dormiens suavissimo
Sum recreatus somnio. *Achmet.* Quo somnio?
Selim. Quòd sim Imperator Turciæ, & pomum manu,
Et ore teneam. *Amurath.* Somnium istud quamdiu
Duravit? *Selim.* Usque dum vigil factus nihil
Nec in manu, nec in ore de pomo amplius
Conspexi, inane somnium tantùm fuit.
Amurath. Deinde quid? *Selim.* Deinde, quod novit satis
Præfectus ipse, námque jam præsens erat,
Statim huc redivi. Nónne? Sed socii mei
Nondum adfuêre. Nescio, quonam interim
Me dormiente abiverint. *Amurath.* Et dormiens
Vidisti, & his oculis tuis, quòd Bajazeth
Decerpserit pomum? *Achm.* Improbe & mendax puer!
Bostange! Virgas huc citò. *Selim.* Parce, obsecro,

Of-

Osmannus ita me docuit. *Amurath.* Osmannus? *Selim.* Nisi,
Dixit, nisi ambo mentiamur strenuè,
Et Bajazethem uterque dicamus reum,
Suspicio furti forsitan & in nos cadet.
Achmet. Osmannus ista? *Selim.* Docuit & mendacium
Jurando confirmare, sed ego nolui
Jurare. *Amurath.* Fors Osmannus & pomum abstulit?
Selim. Hoc nescio. *Achm.* Quid ergò vidisti? *Selim.* Nihil,
Prorsus nihil. *Achm.* Bostange puerum carceri
Includito, mendacii pœnas dabis.
Examinemus pariter Osmannum modò.
Amur. Me revocat Imperator; audita referam.
Achmet solus. Pueri maledicti! in quot hodie angustias
Me conjicitis! in me Imperator rejicit,
Omnémque culpam tribuit, acsi quis queat
Cohibere semper improbas furum manus.

SCENA SEXTA.

Achmet. Osmannus. Ephebi reliqui.

Osman. ad Epheb. Venite, jam discessit Amurath. Jubes

Nunquid redire nos? *Eph.* 1. Ubi puer, putrida
In quem vibremus poma? *Achmet.* Non abest procul.
Eph. 2. Mihi manus jam pruriunt. *Eph.* 3. Ægrè moras
Perferimus omnes. *Osm.* Bajazeth furtum luat
Adeò impudens. *Achm.* Cessate tantisper; luet,
Quod fur meretur; solus Osmanne maneas
Mecum hîc, recedant cæteri.

SCENA SEPTIMA.

Achmet. Osmannus.

Achmet. - - Si Bajazeth
Furtum negabit, quomodo convincere
Poteris? *Osm.* Negabit utique. Nec mirum; timet.
Achm. Sed an negantem poterimus convincere?
Osm. Facilè: duobus testibus, me & Selimo.
Achm. Vidistis ergo uterque? *Osm.* Dixi; vidimus.
Achm. Cur ergo non monuistis, ut vetito manum
Fructu abstineret? *Osm.* Utique monui pluribus. Dixi

Dixi, licere nemini vel tangere
Arbusculam, quam propria nuper manu
Plantârit Imperator. Ipsummet reum
Interroga. Negare non poterit. *Achm.* Nihil
Hæc monita tua curare visus Bajazeth?
Osm. Curavit equidem, quamdiu præsens eram.
Absente me neglexit infelix puer.
Achm. An absfuistis hinc procul? *Osm.* Valde procul.
Ita tamen, ut videre potuerim omnia,
Et non videri. Nempe sub grandi arbore
Latuimus. *Achm.* Anne uterque sub eadem arbore
Latuistis? *Osm.* Utique, quia simul conspeximus
Furem impudentem. *Achm.* Selimus tamen negat
Simul fuisse vos. *Osm.* Negat? fuimus simul,
Et non simul. Id est nempe non semper simul,
Discessimus enim ab invicem. *Achm.* Sub qua arbore
Vidistis ergo uterque furantem? an fuit
Cypressus, ánve laurus? *Osm.* Haud memini satis.
Quid Selimus testatur? an non Selimum
Interrogâsti. *Achm.* Jam modò te interrogo:

An laurus, an cypressus? *Osm.* Ut puto,
fuit
Cypressus, aut laurus. Quid, oro, Se-
limus
Dixit fuisse? meliùs hic noverit. Ego
In Bajazethem, non in arborem fui
Intentus. *Achm.* Huc Bostange! * puerum
hunc alliga
Huic arbori, atque bubulum nervum ex-
pedi.

* Prodit Bostangus.

* *Bost.* An & iste fur est? *Achm.* Alliga.
Puer impudens!
Ut mentiaris ipse non sat est tibi.
Ut mentiantur & alii, improbè doces?
Quin innocentes opprimis mendaciis,
Reósque facis, ut proprium tegas scelus,
Furtúmque? nónne tu ipse furaci manu
Pomum abstulisti? mox fatere, vel
Osm. Sacrum
Testor Prophetam, testor & cœlum, &
stygem,
Premor innocens. Me fulmen è cœlo
ruens -
Achm. Jurare cessa. Bubulum huc ner-
vum citò.

* Alligatur arbori Osmanus.

SCE-

SCENA OCTAVA.

Achmet. Amurath. Osmannus. Bostangus.

Amur. Examinâsti cuncta? Quis tandem reus?
Num Bajazeth? num Selimus? númve ipsemet
Osmannus? *Achm.* Impudenter omnes tres negant,
Et pernegant, se fructûs ablati reos.
Tormenta sunt adhibenda, queîs confessio
Tandem exprimatur. *Amur.* Quæstio hæc lenta nimiùm.
Non patitur Imperator iratus moras.
Ventrem secari mox tribus pueris jubet,
Pomi reliquiæ, quas stomachus haud dum satis
Concoxerit, clarè improbum prodent reum.
Achm. Ventrem secari præcipit pueris? *Amur.* Nisi
Jam sponte furtum fassus est, qui se reum
Agnoscit. *Achm. ad Osm.* Audis hæc? *Amur.* Citò ad rem. Convoca
Pueros, ego, qui dissecent ventres, voco.
Non patitur Imperator iratus moras.
Achm. Bostange mecum. Vincula Osmannum satis
Te-

Tenent ligatum, neutiquam evadet. *Rost. ad Osm.* Puer,
Nunc tempus est, & ultimum. Si sis reus,
Fateare. Secto ventre erit serum nimis.

SCENA NONA.

Osmannus solus arbori alligatus.

Video, fatendum denique est furtum. Nihil
In mentiendo, vel negando jam spei
Superest. Resecto ventre non poterit tegi
Diutiùs, quis fur sit. O sententia
Terribilis! ob pomum unicum pueris tribus
Venter secetur! & mihi quid proderit
Alios perire pariter? Osmanne! O miser
Osmanne! quid agis? denique fatere omnia.
At si fatebor, quanta confessum manent
Supplicia! scuticæ, flagra, queîs usque ad necem
Cœdendus ero. Num potero tolerare tenero
In corpore hoc tot verbera? nequeo, nequeo.
Præstat resecto ventre strenuè mori.

Ergó-

Ergóne moriar? O gula, infelix gula!
Ob unicum pomum moriar? an hoc potest
Decernere Imperator? ob pomum unicum
Ventrem secari? non potest. Tantùm minæ
Hæ sunt, & Amurathis infensi doli,
Queîs quærit extorquere, quis nostrûm reus
Furti sit. Imperator ob pomum unicum
Non sic potest sævire. Sunt tantùm minæ,
Audacter anime, firmiter tantùm nega,
Et pernega. Nil metue: sunt tantùm minæ.

SCENA DECIMA.

Achmet. Amurath. Osmannus. Bajazeth. Selimus. Ephebi reliqui. Bostangus cum mancipiis suis.

Amur. Audite pueri jam ultimam sententiam,
Qualem Imperator ipsus, & firmam tulit:
Cùm pertinaciter adeò furtum evidens
Negetis omnes, ventre dissecto omnibus
Fur verus inquiratur. *Achm.* Exue vestibus

Bo-

Bostange ternos hosce, * queis solis potest
Furtum imputari. *Bajaz.* Ah siste! fateor,
Sitis levandæ gratiæ, ex horto abstuli,
Quod jam prius sum fassus, uvas quattuor,
Suadente puero hoc. * *Osm.* Fateor, ego suasi sitim
Uvis levare; at nunquid admonui simul,
Ne vel manu contingeres pomum? negas?
Bajaz. Hoc non nego. Quin monita tua promptus sequens
Nil præter uvas abstuli. *Achm.* Exue vestibus
Et hunc. * *Selim.* Domine Præfecte, num licet unicum
Hodie mihi mendacium? *Achm.* Mendacium?
Selim. Hoc si licet, dicam statim, quod pomum ego
Decerpserim; nam malo cœdi, quàm mori,
Aut absque ventre vivere. *Achm.* Exue vestibus
Et hunc. * *Osm.* Necare poteris, at furem nequis
Me facere. Morior innocens. Magne Mahomet
Hanc innocentem suscipe clientis animam.
Bost. Quem de tribus nunc aggredi primum jubes? *Achm.*

* *Bajazethem, Osmanum, & Selimum designat.*
* *Osmannum indigitat.*
* *Selimum.*
* *Osmannum.*

Achm. Primus fecetur Bajazeth. *Amur.* Cur Bajazeth?
Achm. Decerpsit uvas, ergo jam furti reus.
Semel prehensum centies credo reum.
Amur. Furtum innocens hoc. Nemini uvas carpere
Prohibuit Imperator. *Achm.* Ast ego pueris
Meis prohibui. *Amur.* Si quid hac in re mali
Fors Bajazethes fecit, Osmanno malum
Suadente fecit. Sed nihil verbis opus.
Ubi Imperator ipse, quid agendum imperat.
Achm. Quid Imperator imperat? *Amur.* Fideliter
Edoctus à me, quàm improbam calumniam
In Bajazethem spargere, & quibus tibi
Mendaciis illudere Osmannus priùs
Sit ausus, hæc iratus edixit, nisi
Fur jam patescat, primus Osmannus fiat,
Cui secentur viscera. *Achm.* Infelix puer!
Saltem modò fateare, si fias reus.
Osm. Vis ergo rursum mentiar? malo mori,
Quàm denuo mendacio vitam emere.
Magne Mahomet! tu noveris, quòd sim innocens.
Hanc innocentem suscipe clientis animam.

Boſt. Huc aſſeres, queîs vinctus incumbat puer.
Ut ſectio feliciter ſimul, & citò
Procedat. * *Eph. 1.* O quàm me tui Oſmanne miſeret!
Oſm. Non ſolus ego ſum miſer. Erit, qui vindicet
Mortem innocentis, ſi quis in cœlo eſt Deus.
Brevi ſequetur Bajazeth, vel Selimus.
Nil pertinax ſilentium illis proderit.
Eph. 2. ad Bajaz. & Selim. Fateamini, quid ſanguinem innocuum juvat
Perdere? *Eph. 3.* Mori debebitis tamen, quia
Certè nihil voravit Oſmannus. *Eph. 4.* Igitur
Nihil inveniri poterit in ventre illius.
Bajath. Nec in meo, niſi uva. *Selim.* Et in meo nihil
Omnino. Sum jejunus, & moriar tamen!
Vacuóque ventre moriar! * *Manc. 1.* En modò aſſeres.
Manc. 2. Ubi locamus? *Manc. 3* Quomodo? *Boſt.* Anguſta nimiùm
Hæc area eſt. *Achm.* Secedite in dextrum latus,
Ibíque ſtruite pegma ferale. * *Boſt.* Sequere.
Oſmann. Valete Socii! morior: at ſolatium

* *Abeunt mancipia ad afferendos aſſeres.*

* *Redeunt mancipia.*

* *Abit Boſtangus cum man.*

Mortis habeo, quòd innocens morior. *Pueri omnes præter Bajazeth, & Selim.* Vale! *[margin: cipit, & secum trahit Osmanum.]*
Achm. Aut innocens, aut impudens summo in gradu
Osmannus est. *Eph. 1.* Est innocens. *Omnes Ephebi.* Est innocens.
Amur. Insigniter scit fingere. *Achm.* Videtur parùm
Mortem timere. Nunquid innocentiæ
Signum hoc putemus non leve? *Amur.* Videtur parùm
Mortem timere. Nempe non credit puer
Nos agere seriò. Omnia hæc tantùm putat
Ad exprimenda vera simulatas minas.
Sed fallitur. Sententiam duram quidem;
Sed seriam Imperator iratus tulit;
Hanc exequaris igitur, ego testis adero.
Achm. * Cavete pueri, si innocens hodie cadat *[margin: * Ad duos adhuc arboribus alligatos Selimum, & Bajazethum.]*
Osmannus, in vos sæviam extremis modis.
Venter resectus non sat in pœnas erit.
Graviora vos supplicia, graviores manent
Mortis dolores. Vos * venite. Spectare juverit, *[margin: * Ad Ephebos reliquos.]*
Quàm puniat mendacium, & furtum Polus.

Eph. 3. Lubens videbo hucusque non visum mihi
Ventrem resectum. *Eph.* 4. Me quoque curiositas
Impellit. *Eph. 1.* Ego spectaculum dirum horreo.
Recedo. *Eph. 2.* Cernere sanguinem etiam ego nequeo.

SCENA UNDECIMA.

Bajazeth. Selimus ad arbores alligati.

Selim. Ah Bajazeth fateare, si tu sis reus!
Bajaz. Ah Selime fateare, si tu sis reus!
Selim. Nam ventre secto vivere diu non potes.
Quia nec bibere, nec comedere, & fors ne quidem
Dormire poteris. *Bajaz.* Túne poteris? *Selim.* Nescio,
Multúmque metuo. *Bajaz.* Spero in Osmanni intimo
Corde reperiri posse pomi reliquias,
Modò sedulò inquirantur. *Selim.* At si fors nihil
Reperitur? *Bajaz.* Ah! tunc perditi ambo nos sumus.
O Mahomet! *Uterque.* O dulcissime Mahomet! juva!

SCENA DUODECIMA.

Personis prioribus accedit Ephebus tertius.

Eph. 3. Nunc, Bajazeth, te tangit ordo. *Bajaz.* Nihil
Ergo repertum in pectore Osmanni?
Eph. Nihil.
Nec reperietur. Innocens, dixi priùs,
Fuit innocens. *Bajazeth.* O Mahometh!
Uterque. O Mahomet juva!

SCENA ULTIMA.

Personæ omnes præter Osmannum.

Achmet. Infauste puer! eousque pertinacia
Processit in negando! *Amurath.* Dixi: haud credidit
Nos seriò agere, credidit tantùm minas
Nos spargere, usque dum cruentum viscera
In ima cultrum sensit immersum; nimis
Serò fateri cœpit infelix puer.
Achmet. * Jam secta produnt viscera, & clarè satis
Concocta necdum poma convincunt reum.
Amurath. Solvatur ergo Bajazeth cum Selimo.

* *Achmeth manu tenet pati.*

Pronuntio innocentes. *Bajaz.* O quanto levas
Pavore mentem. *Selim.* Gratiæ æternæ tibi.
* *Eph.* 1. Osmanne miser, Osmanne! qualis hic jaces!
Achm. Spectate pueri, discite exemplo nimis
Tristi sapere. Spectate, quo tandem gula,
Mendaciúmque pertrahant. *Bajazeth.* Ego quamdiu
Vivam, nec uvam tango, nec pomum manu.
Selim. Ego statim fatebor omnino omnia,
Dum vivo, nullum proferam mendacium.
Achmet. Quod dicis, utinam non sit hoc mendacium.

...nam, in qua reliquia pomi cruenta. * Affertur cadaver Osmani.

O. A. M. D. G.




JE-

JEJUNIUM SABBATHINUM.

ARGUMENTUM.

ADolescens votum conceperat in honorem B.V. Sabbathinos dies ita transigendi, ut extra consueta prandii, & cœnæ tempora nihil cibi, potúsve admitteret. Accidit, ut die Sabbathi eidem offerrentur bellaria, quibus maximè afficiebatur. Abstinuit tamen voti memor magno suo bono; quippe patuit postea, eadem bellaria veneno fuisse infecta. *Ex Sodali Parthenio.*



PERSONÆ.

Conſtantius, *Nobilis Adoleſcens.*

Leander, *Conſtantii Contubernalis.*

Dromulus, *Conſtantii Famulus.*

PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

Scena exhibet cubiculum, in quo arula, & effigies B. V. coram qua flectit Constantius; retro Dromulus sellæ brachiis incumbens, & semidormiens.

Constantius. Dromulus.

Constant. *Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix - nostras deprecationes, ne despicias; in necessitatibus nostris - - sed à periculis cunctis - libera nos semper - - O Virgo Gloriosa - - **

Contendo frustra absolvere incœptas preces;
Omnis repentè membra destituit vigor.
Drom. Cessamus ergo. aut unde languor hic repens?
Videtur importunus hac saltem die,
Quam nempe festam, tibíque natalem decet
Dapsiliter, & genialiter traducere, *
Nunquid Domine Leander?

* *Surgit Constantius, & sellæ insidet.*

* *Prodit Leander in toga nocturna tanquam modò è lecto surgens.*

SCENA SECUNDA.

Constantius. Leander. Dromulus.

Leander. - - Ecquid! *Drom.* Hanc diem
Dapsiliter, & genialiter traducere
Decet, quia hæc natalis est heri mei.
Leand. Natalis est Constantii? ergo gratulor.
Const. Humanitati gratias reddo. Interim
Non admodum genialiter fluet hæc dies.
Adeò malignè valeo. *Leand.* Quis morbus premit?
Const. Hebetudo stomachum, siccitas fauces, caput
Vertigo torquet. Nullus est membris vigor.
Drom. Hebetudo stomachi, siccitásque faucium
Hic quotidianus, credite, est morbus mihi;
Sed cui medela facilis est: vini scyphus,
Zythíve primo manè sicco gutturi
Infusus. *Const.* At mihi manè vinum non sapit.
Leand. An potionis aliud arridet genus,
Herbâ Indicâ * vel Turcicâ excoctum fabâ?
Vel fortè Chocolata, quam Hispanus coquit?

* *The*, *Coffe*,

Const.

Conſt. Ut fatear, arrideret & ſtomacho meo
Potus hic lberus, congruam certè malo
Meo medelam crederem; ſed jam nihil
Hujusce potûs ſuppetit mihi. *Leand.* Brevì
Ut ſuppetat, curabo. Me ſequere puer.

SCENA TERTIA.

Leander. Dromulus.

Leand. Nôſti Placidiam Dromule? *Drom.* Affinem mei
Heri ánne nôrim, quæris? *Leand.* Haud ergo citus
Adibis. *Drom.* Et quid poſtea? *Leand.* Dicas meo
Illi ſalutem nomine. *Drom.* Et quid poſtea?
Leand. Me nuntia ægrotare. *Drom.* Te? morbi genus
Si quærat? *Leand.* Ægrotare me dices, ſat eſt.
Mox Placidia phraſin capiet, & mentem meam.

SCENA QUARTA.

Leander. Constantius.

Leand. Jam collige animos. Pharmacum optatum brevì
Huc afferetur. *Const.* Avidus exſpecto quidem:
Nam languor iſte corporis & animum premit,
Totúmque ineptum precibus, & ſtudiis facit.
Leand. Hodie preces, & ſtudia te non occupent.
Eſt hilaritati danda natalis dies.
Const. Imò, quia eſt natalis, aliquid amplius
Devotioni impendere, & grates Deo,
Magnæque Matri reddere pietas jubet.
Nam ſingulari Numinis beneficio
Luci editum, & in hanc usque ſervatum diem
Me noſco. Matre námque poſt nimiùm graves
Partûs dolores mortua, matrem ego aliam
Præter Mariam neutiquam novi hactenus.
Huic ergo gratum ſiſtere hodierna die
Memet juberet ratio; ſed languor repens
Et membra corporis, & ſimul animum premit. *Leand.*

Leand. Languorem utrumque potio pel-
let brevì
Hìc adfutura. *Conft.* Plurimùm obftringes
tibi
Conftantium; fed unde (fi liceat tamen
Interrogare) fperat hunc potum fibi
Leander? *Leand.* Unde quæris? ab amica
manu,
Tibíque nota plurimùm. *Conft.* Num à
Placidia?
Leand. An non placeret miffus à tali
manu?
Conft. Amice, liceat dicere id, quod
fentio.
Proba eft Placidia; fed tamen - - *Leand.*
Quid hoc tamen?
Conft. Tamen eft puella. Nimia cum fexu
altero
Neceffitudo vix fatis - *Leand.* Tace, ob-
fecro.
Tua fenfa jam divino. Sunt nugæ meræ.
Neceffitudo, quæ mihi agnatam tuam
Conjungit, omni crimine, & culpa va-
cat.
Conft. Credam vacare crimine, an pari-
ter vacat
Omni periclo? fafcinat mentes amor,
Et ex amore - *Leand.* Quid ex amore?
Nobilis,
Dignúsque motus cordis humani eft amor.
Aut truncus eft, aut Caucafo excifus lapis
Qui

Qui non amat. *Conſt.* Sic eſt, fatebor; nobilis,
Dignúsque motus cordis humani eſt amor,
Si corde dignus hominis offertur ſcopus,
In quem feratur. Truncus eſt, qui non amat,
Fatebor, aſt & ſtultus eſt, malè qui amat.
Amemus, ô Leander, ipſus hoc rogo,
Amemus, aſt amemus objectum meo,
Tuóque corde dignum. * Virginem vides
Pulcherrimam, cui forma mortalis parem
Se nulla jactet, nobilem, & regum ſatam
De ſtirpe, pariter divitem, in cujus manu
Omnes theſauri Cœlitum, & quod nos magìs
Alliciat, eſt fidelis hæc virgo. Suos
Non illa amantes ſpernere, aut fallere ſolet.
Amemus hanc Leander. *Leand.* Utique, ne ambigas,
Amo Mariam. *Conſt.* Non dubito; timeo tamen,
Ne fors amare deſinas hanc Virginem,
Ubi cœperis adamare mortalem ſimul.
Leand. Amice, modò valetudinem tuam cura.
Vertigine acto capite, ſiccis faucibus,
Vacuóque Stomacho noxium eſt multum loqui.

* Oſtendit effigiem B. V.

Abi,

Abi, & quiesce nonnihil, dum potio
Aderit, monebo. *Const.* Ut video, jam
nimiùm tibi
Sum monitor importunus. Abscedo.
Preces
Absolvo, quas abruperam priùs; tamen
Hoc addo dictis unicum: agnatæ meæ
Ne fide nimiùm. Illudit, illudit tibi
Duntaxat, atque spernit imberbes genas,
Et aure adhuc madente stillantem procum.
Sic ipsa nuper Placidia.

SCENA QUINTA.

Leander solus.

. . . *Imberbes genas,*
Et aure adhuc madente stillantem procum!
Hæc ipsa de me Placidia? *Imberbes genas,*
Et aure adhuc madente stillantem procum!
Non credo. Sunt Constantii hæc dicteria,
Figmenta sunt, non credo. - - sed quid
si tamen?
Si vera - - dubium Dromulus solvet
redux.

SCE-

SCENA SEXTA.

Leander. Dromulus.

Leand. Affersne, quod speraveram? quid Placidia?

Drom. Quin plura, quàm speraveras à Placidia,
Tibi ferre jubeor. * Ast ubi Constantius?

Leand. Conclave subiit, redeat huc promptus, mone.

* *Deponit Dromulus allatum à se cum muneribus corbem in mensula.*

SCENA SEPTIMA.

Leander solus.

Videamus igitur quid Placidia miserit. *
Est, est Ibera potio, selectissima
Omnino Chocolata. Quàm bellè phrasin,
Meámque mentem cepit! & quis hic liquor?
Vinum est adustum. Nempe quod flammas fovet.
Quàm providè. Bellaria superaddidit.
O dulcia mihi munera, à tali manu
Condita! videat, videat hæc Constantius,
Discátque, quàm duntaxat illudat mihi
Placidia, quàm contemnat imberbem procum.

* *Depromit ex corbe varia munera.*

SCE-

SCENA OCTAVA.

Leander. Conſtantius. Dromulus.

Leand. ad Conſt. Viden', quàm amarè ludar agnatæ tuæ.
Sed iſta jam mittamus. Optatum juvat
Parare potum. Poculum primùm hauriam
In ſanitatem illius, hæc quæ munera
Submiſit. *Conſt.* An Placidia ſe tam prodigam
Oſtendit, & ſubmittit hæc? *Leand.* Ipſiſſima
Placidia. Nunquid Dromule? *Drom.* Ita, tibi ô here
Fauſtiſſimum gratata Natalem, loco
Strenæ ferenda munera hæc juſſit. *Conſt.* Mihi,
Ais, ferenda juſſit? *Drom* Ita tibi. *Leand.* Et mihi,
Nihílne? *Drom.* Pariter, pariter. Hunc nempe vacuum
Corbem Leandro juſſit offerri, optimum
Morbo levando pharmacum. Hæres? accipe! *
Leand. Mihíne ſic illudere infamis?

* *Leander oblatum corbem indignatus projicit, & ſe proripit.*

SCENA NONA.

Constantius. Dromulus.

Const. . . . Bene est.
Dolet Leander. Est salubris hic dolor.
Hoc pharmacum est aptissimum ad morbi
genus,
Quali hic laborat. *Drom.* Placidiæ factum
probas?
Const. Quàm maximè. Utinam virgines
omnes suos
Simili modo sanare didicissent procos!
Piscator ictus sapiet, & jam sanctiùs
Amare discet Virginem, quæ oblatos sibi
Non tam probrosè rejicere amores solet.
Drom. Fateor, libellus hic repudii non
satis
Sapiet Leandro. *Const.* Modò sapiat ipsus.
At ubi est?
Age, revoca. Exercemus illum nonnihil,
Dum adhuc calet ferrum. Pia est vexatio,
Quæ referat intellectum. *Drom.* Ego po-
tum paro.
Tu si lubebit, strenuè exagita hominem.



PARS

PARS SECUNDA.

SCENA PRIMA.

Conſtantius. Leander. Dromulus.

Conſt. Quid eſt Leander? refugis affatus meos? *Dromulus in proxima menſam la parat, & coquit Chocolatam.*
Commotus es, ùt video. *Leand.* Cur ſim? *Conſt.* Neſcio.
Fortè medicina moverit ſtomachum tibi,
Et corbis hic ſubmiſſus. *Leand.* Eſt tantùm jocus.
Amat jocari Placidia, ùt ſcis ipſemet.
Drom. Nónne bene mentem cepit, & phraſin tuam?
Conſt. Et tu Leander percipis nunquid phraſin,
Mentémque Placidiæ? eſt ſatìs germanica.
Drom. Quid ergo vult germanica hæc phraſis ſibi,
Qua dicimur cuipiam corbem dare?
Eſtne inſtar arrhæ? *Leand.* Quid mihi inſultas puer?
Drom. Proteſtor, haud inſulto; tantùm nonnihil
Amo jocari more Placidiæ. *Conſt.* Interim
Fateberis, Leander, hunc hodie jocum

S Fors

Fors neutiquam exſpectaveras. Certè eſt jocus
Crudus parumper. *Leand.* Nempe ab agnata tua.
Conſt. Hoc *Recipe* non placeret ægris omnibus.
Drom. Domino Leandro quidquid à tali manu
Submittitur, gratiſſimum eſt. Corbes quoque
Scit devorare, & concoquere. *Leand.* Famuli tui
Compeſce linguam, aut - *Conſt.* Dromule loquere cautiùs:
Nam neutiquam inſultare proximi malo,
Sed condolere potiùs afflicto decet.
Leand. An ergo me afflictum putas re tam levi?
Conſt. Sapis Leander, ſiquidem haud ultra tuos
Affligat animos Placidiæ fallax amor.
Spretus puellam ſperne. Contemptas faces
Audeto vindicare contemptu pari.
Leand. Confide, vindicabo. *Drom.* Selectiſſima
Omninò Chocolata, quam tibi, ô Here,
Agnata miſit. En! ùt ebullit, ſalit,
Spumátque! *Leand Tacitè.* Spuma Cerberi hunc potum malè
Inficiat! *Conſt.* Ergo debili ſtomacho bene
Hæc

Hæc potio conducet. *Leand. tacitè.* Ut
    ſtomachum tibi
Diſrumpat! *Drom.* At deficere jam flam-
    ma incipit.
Conſt. Ergo addimus alimenta. *Drom.*
    Placidia providè
Junxit, quod ignem foveat. * *Conſt.* Hæc
    omnia tibi
Debeo Leander. *Drom.* Nempe delata
    omnia
Sunt in Leandri corbe. *Conſt.* Ceſſa il-
    ludere.
Drom. Dixi utique: non illudo, tantùm
    nonnihil
Amo jocari more Placidiæ. *Leand. tacitè.*
    Brevì,
Juro, jocari deſines. *Drom.* Nunc jam
    ſatìs
Excocta potio, ùt puto. Claves, Here,
Ad ciſtulam, in qua vaſcula. *Conſt.* Ipſus
    afferam,
Tu frigidam quære interim. * *Drom.* Va-
    ſcula tria
Here affer, unum ſcilicet tibi, alterum
Domino Leandro, tertium mihi ſerviet.
Bibemus omnes, & bibemus ſtrenuè
In ſanitatem Placidiæ, quæ prodiga
Submiſit iſthæc munera, & quidem omnia
Adeò eleganti in corbe. Vivat Placidia!

* *Affundit flammæ vinum adustum.*

* *Abit Constantius.*

SCENA SECUNDA.

Leander solus.

Bibetis, & bibetis in vestrum malum.
Efficiam, ut æquè fortiter bilem brevì
Vobis moveat hæc potio, ac corbis mihi.
Videamus, ánne Brasila hæc herba stomacho
Conducat æquè, ac naribus. * Nondum satìs.
Quid addo? * Liquor hic serviet lactis loco.
Aspergo pariter saccarum. Ast intus nihil.
Occurrit aliud. Destinata muribus
Cubiculum infestantibus bellaria
Herì attulit Constantius. - - Sed quid paro
Incautus? hæc venena sunt. Ne quid nimis.
Parumper agitatum cupio Constantium.
Non enecatum. - - Sed tamen - - Mures puto,
Tantùm venenum hoc enecat, homini nequit
Nocere multùm. Sit igitur. * Sic jam bene.
Occasio jam parta vindictæ. Brevì
Inter dolores viscerum, atque tormina
Tandem mihi insultare dediscet puer,
Herúsque pueri, quódque vindictæ caput,
Au-

** Pyxidem tabaco Brasilo plenam miscet Chocolatæ.*
** Tum ex atramentario obvio atramentum & pulverem.*
** Immiscet etiam venenum muribus destinatum.*

Author mali Placidia credetur, cui
Culpa omnis imputabitur; & hujus manu
Vitiata Chocolata quot lites feret?
Quas inter ipse solus applaudam mihi.

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

Constantius. Leander. Dromulus.

Const. Ubi Dromulus cum frigida? *Drom.*
Adsum jam Lupus
In fabula. Sed frigidam an primo loco,
Haustáve potione sumetis? mihi
Hæc potio calens sufficit sine frigida.
Const. Et quid Leander? *Leand.* Nec
ego soleo frigidam
Miscere alicui potui. *Drom.* Nec tibi, ô
Here,
Stomachóque nimiùm debili apta frigida.
Calidum bibemus. Anseres aquam bibant.
Const. Infundito igitur Dromule, & præbe. *Drom.* Cui?
Const. Domino Leandro poculum primum, mihi
Dein alterum. *Leand.* Quin poculum
primum cape.
Ægrotus es, & debili stomacho magis

Flos potionis cónvenit. *Drom.* Floris
super
Utrique abundè. * Capite, tum capiam
& ego.

** Offert Dromulus utrique potum.*

Leand. Constantio proficiat. *Conſt.* Ipſus
non bibes?
Leand. Ægro paratum eſt pharmacum,
ego valeo bene.
Conſt. Etiam valenti potio iſta congruit.
Cape, oro. * *Leand.* Grates maximas.
Non ſitio ego.

** Conſtantius obtrudit Leandro.*

Drom. An ergo tenuis corbula hæc ſto-
machum tuum
Adeò replevit, ut capiat ultra nihil?
Conſt. Cape, oro, ſi non in Placidiæ
gratiam,
In ſanitatem ſumito hæc ſaltem meam.
An forſan indignaris & mihi? *Leand.*
Procul
Hoc abſit. *Conſt.* Accipe igitur, aut cur
reſpuis?
Leand. Ne ſuſpiceris forſan iratum tibi,
Pando, quod occultare ſtudueram ha-
ctenus.
Hanc potionem plurimùm à teneris amo,
Multúmque ad illam afficior; abſtineo
tamen,
Quia Sabbathina, & Virgini ſacra eſt dies.
Jejunus hanc tranſigere decrevi piè.
Et ne ſtatuta tam pia iterum deſeram,

Occa-

Occasione proxima, & gravissima
Tentatione victus, abscedam, sinas.

SCENA SECUNDA.

Constantius. Dromulus.

Quàm revocat opportunus in mentem mihi
Diem sacratum Virgini, & votum pium. *
Ignosce Mater! Immemor lucis sacræ
Pene violâssem vota, quæ tibi voveram,
Et per tot annos hactenus firma fide
Servaveram. Illico amove isthæc Dromule.

* *Constantius vasculum deposuit.*

Drom. Cur? ergo non bibes? *Const.* Bibam; ast non hac die.
Drom. Quare ergo jusseras parari? *Constant.* Scilicet
Quia immemor eram Sabbathi, & quod voveram,
Jejunii. *Drom.* Res liquida non frangit utique
Jejunium. *Const.* Non frangit; ast ego tamen
Decreveram extra prandium, & cœnam nihil
Admittere, etiam liquidi. *Drom.* Here! hoc votum tuum
Tantùm fuit propositum, & imprudens quidem,

Servare non teneris. *Conſt.* An credis
igitur
Me non teneri? credis hunc potum gravi
Vacare culpa? *Dròm.* Nulla, nec leviſ-
ſima
In potione culpa. Sic omnes docent
Legum periti. Res liquida jejunium
Non violat unquam. *Conſt.* Sæpiùs id
ipſum audii.
Verum igitur eſt. Non teneor. * At
quanta hactenus
Mihi Maria præſtitit, & adhuc parat
Præſtare porrò, ad quæ tenetur neuti-
quam.
Eſt illa ſemper prodiga in me, tam tenax
Ego ſim in illam? Sordidæ eſt mentis,
nihil
Mariæ amore facere, quàm quod lex
jubet,
Aut quod teneris facere. *Drom.* Quàm
mirus mihi
Hodie videris! anxiam mentem exue,
Si Sabbathum vis colere, aliud opus pium
Jejunio ſubſtitue. *Conſt.* Verbi gratiâ?
Drom. Quinque Pater & Ave dicito, aut
alias preces.
Conſt. Trinas Corollas Virgini texam lu-
bens.
Credíſne præ jejunio has gratas fore?
Drom. Dubitáſne? certè gratior, erit
unica

* *Accedit menſam recepturus vaſculum, ſed iterum hæret.*

Sa-

Sacræ Corollæ ſtropha, quàm ſi centiès
A potione abſtinueris. * Igitur cape,
Et mente ſecura. - - Vel exſpecta pa- *Iterum offert Dromulus constantiæ vasculum.
rùm,
Jam tepidus eſt huîc vaſculo infuſus li-
quor,
Fundam recentem. *Conſt.* Sed citò.
Drom. Citiſſimè.
Conſt. Dubium recurrit. Audii ſæpe uni-
cam
Negatam amori proprio cupidinem,
Et ſenſuum victoriam longas preces
Superare merito, & gratius id opus
Polo,
Quod difficilius ſenſui eſt. *Drom.* Here!
ſi quidem
Hodie valeres, fors ita poſſes loqui,
Vel cogitare: nunc memento, quòd ſias
Ægrotus, atque hæc ſumito non per
modum
Potûs, ſed, ùt verum utique, medicinæ
in modum.
Conſt. Bene differis. Quin teneor ægro
corpori
Congruum adhibere pharmacum; nam
corpore
Languente pariter deficit animi vigor;
Nec aptus eſt ad ſtudia, quin nec ad
preces.
Præbe ergo. * *Drom.* Selectiſſima omnino *Accipit Con-
eſt, Here,
S 5 Hæc

Non Chocolatam. *Conſt.* Quid gemis?
Drom. Vixdum unicum
Avido ore poculum ebibi, & jam ſentio
Sævos dolores viſcerum, &, quam
neſcio,
Per ima jam præcordia furentem luem.
Conſt. Nugaris? *Drom.* Ipſus, obſecro ex-
plora. Vide,
Quid vaſculo imo lateat. * *Conſt.* Et quis
iſte odor?
Ni fallor, herbæ Braſilæ eſt. *Drom.* Heu
me! dolor
Increſcit! *Conſt.* Et quid fœcis hoc? - -
Quid cogitem? *
Adverto fraudem, & fraudis authorem.
Dolum
Cudit Leander.

** Naribus admovet.*

** Advertit in menſula relictam à Leandro tabacci pyxidem &c.*

SCENA QUINTA.

Conſtantius. Leander. Dromulus.

Leand. - Quid agitur? *Conſt.* Quæris?
Tuæ
Induſtriæ fructum vides. * Cur, obſecro,
Leander iſta? *Drom.* Prô nefanda potio,
Maledicta Chocolata! *Leand.* Num vos
potio,
Placidia quam ſubmiſit, affligit malè?
Conſt. Qualem Leander nempe corrupit
malè.

** Oſtendit Dromulum ſupinum in ſella jacentem.*

Leand.

Leand. Hæc, quæso, amice parciùs. *Const.*
Tege, si potes.
An non sat hæc vestigia authorem notant? *
Leander intricârat hanc offam mihi,
Evertit abstinentia infamem dolum.
Tu Dromule - - At quid video? livescunt genæ,
Venæ intumescunt. *Drom.* Heu! crucior! uror! lues
In membra se diffundit. Antidotum citò,
Bibi venenum, sentio, venenum bibi.
Const. Moneo citus domesticos, Medicum vocent,
Mystámque.

* *Ostendit pyxidem tabacci &c.*

SCENA SEXTA.

Leander. Dromulus.

Leand. - Num seriò ista? hëu me! quid hodie
Incautus egi! vel quid infelix agam?
Si pereat ille, perditus sum ego quoque.
Crimen patescit. Mortis illatæ reus
Ad carceres, ad vincula, ad mortem abstrahar.
Drom. Disrumpor. Uror. Morior. *Leand.* Ergo fugio ego.
Sed quò miser quò fugio? quod asylum peto?

SCENA SEXTA.

Leander. Dromulus.

Leand. Affersne, quod speraveram? quid Placidia?
Drom. Quin plura, quàm speraveras à Placidia,
Tibi ferre jubeor. * Ast ubi Constantius?
Leand. Conclave subiit, redeat huc promptus, mone.

** Deponit Dromulus allatum à se cum muneribus corbem in mensula.*

SCENA SEPTIMA.

Leander solus.

Videamus igitur quid Placidia miserit. *
Est, est Ibera potio, selectissima
Omnino Chocolata. Quàm bellè phrasin,
Meámque mentem cepit! & quis hic liquor?
Vinum est adustum. Nempe quod flammas fovet.
Quàm providè. Bellaria superaddidit.
O dulcia mihi munera, à tali manu
Condita! videat, videat hæc Constantius,
Discátque, quàm duntaxat illudat mihi
Placidia, quàm contemnat imberbem procum.

** Deponit ex corbe varia munera.*

SCENA OCTAVA.

Leander. Constantius. Dromulus.

Leand. ad Const. Viden', quàm amarè ludar agnatæ tuæ.
Sed ista jam mittamus. Optatum juvat
Parare potum. Poculum primùm hauriam
In sanitatem illius, hæc quæ munera
Submisit. *Const.* An Placidia se tam prodigam
Ostendit, & submittit hæc? *Leand.* Ipsissima
Placidia. Nunquid Dromule? *Drom.* Ita, tibi ô here
Faustissimum gratata Natalem, loco
Strenæ ferenda munera hæc jussit. *Const.* Mihi,
Ais, ferenda jussit? *Drom* Ita tibi. *Leand.* Et mihi,
Nihilne? *Drom.* Pariter, pariter. Hunc nempe vacuum
Corbem Leandro jussit offerri, optimum
Morbo levando pharmacum. Hæres? accipe! *
Leand. Mihine sic illudere infamis?

* *Leander oblatum corbem indignatus projicit, & se proripit.*

SCE-

SCENA NONA.

Constantius. Dromulus.

Const. . . . Bene est.
Dolet Leander. Est salubris hic dolor.
Hoc pharmacum est aptissimum ad morbi genus,
Quali hic laborat. *Drom.* Placidiæ factum probas?
Const. Quàm maximè. Utinam virgines omnes suos
Simili modo sanare didicissent procos!
Piscator ictus sapiet, & jam sanctiùs
Amare discet Virginem, quæ oblatos sibi
Non tam probrosè rejicere amores solet.
Drom. Fateor, libellus hic repudii non satis
Sapiet Leandro. *Const.* Modò sapiat ipsus. At ubi est?
Age, revoca. Exercemus illum nonnihil,
Dum adhuc calet ferrum. Pia est vexatio,
Quæ referat intellectum. *Drom.* Ego potum paro.
Tu si lubebit, strenuè exagita hominem.



PARS

PARS SECUNDA.

SCENA PRIMA.

Conſtantius. Leander. Dromulus.

Conſt. Quid eſt Leander? refugis affatus meos?
Commotus es, ùt video. *Leand.* Cur ſim? *Conſt.* Neſcio.
Fortè medicina moverit ſtomachum tibi,
Et corbis hic ſubmiſſus. *Leand.* Eſt tantùm jocus.
Amat jocari Placidia, ùt ſcis ipſemet.
Drom. Nónne bene mentem cepit, & phraſin tuam?

Dromulus in proxima menſula parat, & coquit Chocolatam.

Conſt. Et tu Leander percipis nunquid phraſin,
Mentémque Placidiæ? eſt ſatìs germanica.
Drom. Quid ergo vult germanica hæc phraſis ſibi,
Qua dicimur cuipiam corbem dare?
Eſtne inſtar arrhæ? *Leand.* Quid mihi inſultas puer?
Drom. Proteſtor, haud inſulto; tantùm nonnihil
Amo jocari more Placidiæ. *Conſt.* Interim
Fateberis, Leander, hunc hodie jocum

Fors neutiquam exſpectaveras. Certè eſt jocus
Crudus parumper. *Leand.* Nempe ab agnata tua.
Conſt. Hoc *Recipe* non placeret ægris omnibus.
Drom. Domino Leandro quidquid à tali manu
Submittitur, gratiſſimum eſt. Corbes quoque
Scit devorare, & concoquere. *Leand.* Famuli tui
Compeſce linguam, aut - *Conſt.* Dromule loquere cautiùs:
Nam neutiquam inſultare proximi malo,
Sed condolere potiùs afflicto decet.
Leand. An ergo me afflictum putas re tam levi?
Conſt. Sapis Leander, ſiquidem haud ultra tuos
Affligat animos Placidiæ fallax amor.
Spretus puellam ſperne. Contemptas faces
Audeto vindicare contemptu pari.
Leand. Confide, vindicabo. *Drom.* Selectiſſima
Omninò Chocolata, quam tibi, ô Here,
Agnata miſit. En! ùt ebullit, ſalit,
Spumátque! *Leand Tacitè.* Spuma Cerberi hunc potum malè
Inficiat! *Conſt.* Ergo debili ſtomacho bene

Hæc

Hæc porio conducet. *Leand. tacitè.* Ut
ſtomachum tibi
Diſrumpat! *Drom.* At deficere jam flam-
ma incipit.
Conſt. Ergo addimus alimenta. *Drom.*
Placidia providè
Junxit, quod ignem foveat. * *Conſt.* Hæc
omnia tibi
Debeo Leander. *Drom.* Nempe delata
omnia
Sunt in Leandri corbe. *Conſt.* Ceſſa il-
ludere.

* *Affundit flammæ vinum aduſtum.*

Drom. Dixi utique: non illudo, tantùm
nonnihil
Amo jocari more Placidiæ. *Leand. tacitè.*
Brevì,
Juro, jocari deſines. *Drom.* Nunc jam
ſatis
Excocta potio, ùt puto. Claves, Here,
Ad ciſtulam, in qua vaſcula. *Conſt.* Ipſus
afferam,
Tu frigidam quære interim. * *Drom.* Va-
ſcula tria
Here affer, unum ſcilicet tibi, alterum
Domino Leandro, tertium mihi ſerviet.
Bibemus omnes, & bibemus ſtrenuè
In ſanitatem Placidiæ, quæ prodiga
Submiſit iſthæc munera, & quidem omnia
Adeò eleganti in corbe. Vivat Placidia!

* *Abit Conſtantius.*

SCENA SECUNDA.

Leander solus.

Bibetis, & bibetis in vestrum malum.
Efficiam, ut æquè fortiter bilem brevì
Vobis moveat hæc potio, ac corbis mihi.
Videamus, ánne Brasila hæc herba stomacho
Conducat æquè, ac naribus. * Nondum satìs.
Quid addo? * Liquor hic serviet lactis loco.
Aspergo pariter saccarum. Ast intus nihil.
Occurrit aliud. Destinata muribus
Cubiculúm infestantibus bellaria
Herì attulit Constantius. - - Sed quid paro
Incautus? hæc venena sunt. Ne quid nimis.
Parumper agitatum cupio Constantium.
Non enecatum. - - Sed tamen - - Mures puto,
Tantùm venenum hoc enecat, homini nequit
Nocere multùm. Sit igitur. * Sic jam bene.
Occasio jam parta vindictæ. Brevì
Inter dolores viscerum, atque tormina
Tandem mihi insultare dedìscet puer,
Herúsque pueri, quódque vindictæ caput,
Au-

* Pyxidem tabaco Brasilo plenam miscet Chocolatæ.
* Tum ex atramentario obvio atramentum & pulverem.
* Immiscet etiam venenum muribus destinatum.

Author mali Placidia credetur, cui
Culpa omnis imputabitur; & hujus manu
Vitiata Chocolata quot lites feret?
Quas inter ipse solus applaudam mihi.

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

Constantius. Leander. Dromulus.

Const. Ubi Dromulus cum frigida? *Drom.* Adsum jam Lupus
In fabula. Sed frigidam an primo loco,
Haustáve potione sumetis? mihi
Hæc potio calens sufficit sine frigida.
Const. Et quid Leander? *Leand.* Nec ego soleo frigidam
Miscere alicui potui. *Drom.* Nec tibi, ô Here,
Stomachóque nimiùm debili apta frigida,
Calidum bibemus. Anseres aquam bibant.
Const. Infundito igitur Dromule, & præbe. *Drom.* Cui?
Const. Domino Leandro poculum primum, mihi
Dein alterum. *Leand.* Quin poculum primum cape.
Ægrotus es; & debili stomacho magis

Flos potionis convenit. *Drom.* Floris super
Utrique abundè. * Capite, tum capiam & ego.

** Offert Dromulus utrique potum.*

Leand. Constantio proficiat. *Const.* Ipsus non bibes?
Leand. Ægro paratum est pharmacum, ego valeo bene.
Const. Etiam valenti potio ista congruit.
Cape, oro. * *Leand.* Grates maximas. Non sitio ego.

** Constantius obtrudit Leandro.*

Drom. An ergo tenuis corbula hæc stomachum tuum
Adeò replevit, ut capiat ultra nihil?
Const. Cape, oro, si non in Placidiæ gratiam,
In sanitatem sumito hæc saltem meam.
An forsan indignaris & mihi? *Leand.* Procul
Hoc absit. *Const.* Accipe igitur, aut cur respuis?
Leand. Ne suspiceris forsan iratum tibi,
Pando, quod occultare studueram hactenus.
Hanc potionem plurimùm à teneris amo,
Multúmque ad illam afficior; abstineo tamen,
Quia Sabbathina, & Virgini sacra est dies.
Jejunus hanc transigere decrevi piè.
Et ne statuta tam pia iterum deseram,
Occa-

Occasione proxima, & gravissima
Tentatione victus, abscedam, sinas.

SCENA SECUNDA.

Constantius. Dromulus.

Quàm revocat opportunus in mentem mihi
Diem sacratum Virgini, & votum pium. *
Ignosce Mater! Immemor lucis sacræ
Pene violâssem vota, quæ tibi voveram,
Et per tot annos hactenus firma fide
Servaveram. Illico amove isthæc Dromule.

* *Constantius vasculum deponit.*

Drom. Cur? ergo non bibes? *Const.* Bibam; ast non hac die.
Drom. Quare ergo jusseras parari? *Constant.* Scilicet
Quia immemor eram Sabbathi, & quod voveram,
Jejunii. *Drom.* Res liquida non frangit utique
Jejunium. *Const.* Non frangit; ast ego tamen
Decreveram extra prandium, & cœnam nihil
Admittere, etiam liquidi. *Drom.* Here! hoc votum tuum
Tantùm fuit propositum, & imprudens quidem,

Servare non teneris. *Conſt.* An credis
igitur
Me non teneri? credis hunc potum gravi
Vacare culpa? *Drom.* Nulla, nec leviſ-
ſima
In potione culpa. Sic omnes docent
Legum periti. Res liquida jejunium
Non violat unquam. *Conſt.* Sæpiùs id
ipſum audii.
Verum igitur eſt. Non teneor. * At
quanta hactenus

** Accedit menſam recepturus vaſculum, ſed iterum hæret.*

Mihi Maria præſtitit, & adhuc parat
Præſtare porrò, ad quæ tenetur neuti-
quam.
Eſt illa ſemper prodiga in me, tam tenax
Ego ſim in illam? Sordidæ eſt mentis;
nihil
Mariæ amore facere, quàm quod lex
jubet,
Aut quod teneris facere. *Drom.* Quàm
mirus mihi
Hodie videris! anxiam mentem exue,
Si Sabbathum vis colere, aliud opus pium
Jejunio ſubſtitue. *Conſt.* Verbi gratiâ?
Drom. Quinque Pater & Ave dicito, aut
alias preces.
Conſt. Trinas Corollas Virgini texam lu-
bens.
Credíſne præ jejunio has gratas fore?
Drom. Dubitáſne? certè gratior erit
unica

Sa-

Sacræ Corollæ ſtropha, quàm ſi centiès
A potione abſtinueris. * Igitur cape,
Et mente ſecura. - - Vel exſpecta parùm, *Iterum
Jam tepidus eſt huîc vaſculo infuſus liquor, offert Dromulus Conſtantio vaſculum.
Fundam recentem. *Conſt.* Sed citò. *Drom.* Citiſſimè.
Conſt. Dubium recurrit. Audii ſæpe unicam
Negatam amori proprio cupidinem,
Et ſenſuum victoriam longas preces
Superare merito, & gratius id opus Polo,
Quod difficilius ſenſui eſt. *Drom.* Here! ſi quidem
Hodie valeres, fors ita poſſes loqui,
Vel cogitare: nunc memento, quòd ſias
Ægrotus, atque hæc ſumito non per modum
Potûs, ſed, ùt verum utique, medicinæ in modum.
Conſt. Bene differis. Quin teneor ægro corpori
Congruum adhibere pharmacum; nam corpore
Languente pariter deficit animi vigor;
Nec aptus eſt ad ſtudia, quin nec ad preces.
Præbe ergo. * *Drom.* Selectiſſima omnino eſt, Here, *Accipit

 Hæc Con-

stantibus vasculum, & ori jam admovet.

Hæc Chocolata. *Const.* Solus aspectus animum,
Virésque recreans insolitam orexin movet.

Drom. Proficiat ergo, & prosit ægroto, precor.

Const. * Esset tamen victoriæ genus Deo,
Et Virgini gratissimum, si vincerem
Hanc sensuum pruriginem, atque acrem nimis
Gulæ appetitum. * Sit igitur. Potum hunc tibi
O Domina libo. Langueat corpus, modò
Infracta maneant vota, queîs Virgo tibi
Dudum obligavi corpus, & animam meam.
Hæc Dromule procul amove. Ne forsitan
Me gula vincat. *Drom.* Pace nostra, si abnuis
Hanc potionem, Dromulus solus bibet.
Me nulla stringunt vota, nec jejunii
Lex ulla sponte imposita. Votum tam insolens
Nunquam edidi, nec postero edam tempore, *

** Iterum removet.*

** Seponit, & fundit in majus vasculum.*

** Abit Dromulus cum Chocolata.*

SCE-

SCENA TERTIA.

Constantius solus ad aram B. V. prostratus.

Admitte Virgo, & mente clementi excipe
Hoc qualecunque pignus, & testem mei
Amoris in te, hanc sensuum victoriam.
Est tenuis in se, fateor, & nimiùm levis,
Mihi tamen difficilis admodum accidit.
Scio, tibi quid debeam, ô Mater pia!
Quòd si immolarem propriam hanc vitam tibi,
Non redderem, nisi debitam dudum tibi.
Et cur recusem ferre propter te levem
Hanc corporis molestiam? Nato tuo,
Quem videras pro me in cruce exhaustum siti,
Hanc offero ægritudinem, & sitim meam.
Possem hanc levare; sed tui, & Nati tui
Amore malo ferre.

SCENA QUARTA.

Constantius. Dromulus.

Drom. Vah! quæ potio hæc!
Heu! fel draconum, & aspidum exhausi, ô Here, Non

Non Chocolatam. *Conſt.* Quid gemis?
Drom. Vixdum unicum
Avido ore poculum ebibi, & jam ſentio
Sævos dolores viſcerum, &, quam
neſcio,
Per ima jam præcordia furentem luem.
Conſt. Nugaris? *Drom.* Ipſus, obſecro ex-
plora. Vide,
Quid vaſculo imo lateat. * *Conſt.* Et quis
iſte odor?
Ni fallor, herbæ Braſilæ eſt. *Drom.* Heu
me! dolor
Increſcit! *Conſt.* Et quid fœcis hoc? -
Quid cogitem? *
Adverto fraudem, & fraudis authorem.
Dolum
Cudit Leander.

** Naribus admovet.*

** Advertit in menſulæ reliЯam à Leandro tabacci pyxidem &c.*

SCENA QUINTA.

Conſtantius. Leander. Drbmulus.

Leand. - Quid agitur? *Conſt.* Quæris?
Tuæ
Induſtriæ fructum vides. * Cur, obſecro,
Leander iſta? *Drom.* Prô nefanda potio,
Maledicta Chocolata! *Leand.* Num vos
potio,
Placidia quam ſubmiſit, affligit malè?
Conſt. Qualem Leander nempe corrupit
malè.

** Oſtendit Dromulum ſupinum in ſella jacentem.*

Leand.

Leand. Hæc, quæſo, amice parciùs. *Conſt.* Tege, ſi potes.
An non ſat hæc veſtigia authorem notant? *
Leander intricârat hanc offam mihi,
Evertit abſtinentia infamem dolum.
Tu Dromule - - At quid video? liveſcunt genæ,
Venæ intumeſcunt. *Drom.* Heu! crucior! uror! lues
In membra ſe diffundit. Antidotum citò,
Bibi venenum, ſentio, venenum bibi.
Conſt. Moneo citus domeſticos, Medicum vocent,
Myſtámque.

* *Oſtendit pyxidem tabacci &c.*

SCENA SEXTA.

Leander. Dromulus.

Leand. - Num ſeriò iſta? hëu me! quid hodie
Incautus egi! vel quid infelix agam?
Si pereat ille, perditus ſum ego quoque.
Crimen pateſcit. Mortis illatæ reus
Ad carceres, ad vincula, ad mortem abſtrahar.
Drom. Diſrumpor. Uror. Morior. *Leand.* Ergo fugio ego.
Sed quò miſer quò fugio? quod aſylum peto?

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Constantius. Leander. Dromulus.

Const. Leander! ô Leander! incautus nimis
Quid perpetrâsti? sic misellum hunc enecas?
Et absque causa? *Leand.* Amice! per sacra omnia
Ne prode miserum. Testis est mihi Deus,
Omnésque Superi, neutiquam tantum mali
Posse evenire credidi ex facto levi.
Drom. Ubi Sacerdos, aut Medicus? *Const.* Aderit brevì.
Modò Mariam Dromule, Mariam invoca.
Hæc me periclo mortis eripuit pia,
Te poterit eadem eripere præsenti licèt
Jam morti. *Leand.* O utinam! O Virgo, supplicem tibi
Ne sperne in his angustiis. *Const.* Equidem vices
Utriusque doleo; sed novum ex hoc Virginis
Agnosco beneficium. Novam pro me Poli,
Et singularem video providentiam.
Talis jacerem, qualis infelix jacet

Cum

Cum morte luctans Dromulus, nisi pia
Hæc Mater amovisset hoc malum meo
Capiti paratum. Amore Virginis levem
Vim sensui meo intuli, potum unicum
Gulæ negavi, Virginis hujus modò
Favore morti eripior. *Drom.* Ah si ego quoque
Gulam ausus essem vincere! irrisi impius
Pietatem Heri, jam debitas pœnas luo.
Leand. Amice, video, amaris almæ Virgini,
Illius amore obtestor, ignoscas mihi.
Quin & benignam Dromulo, & mihi stude
Reddere Mariam, precibus hanc flectas tuis.
Const. Agite ergo, votum concipite. Præibo ego:
O Mater afflictorum, & ægrorum salus,
Afflictum, & ægrum respice clientem tuum.
Si me potenti brachio morti eripis
Jam jam imminenti, statuo honoribus tuis
Dies sacratos Sabbathi, dum vixero,
Jejunus agere. Dromule hæc nunquid voves?
Drom. Ah! corde toto, & serio. O Domina mea!
Leand. Idem statuo firmissimè, & sanctissimè
Servabo. Sum equidem indignus omnino tuo

Fa-

Favore Domina; at deprecor, tibi, & tuis
Injurias quas intuli imprudens nimis.
Vanos amores damno. Præsentis mali
Agnosco fontem. Amabo posthac sanctiùs.

Const. Heu! Dromulus agonizat! *Leand.* Ergo despicis
Tot vota Mater? *Const.* Naribus cruor effluit
Copiosus. *Leand.* Et cum hoc simul anima? Mater juva!
Const. Spes læta sanitatis est. Cum sanguine
Foras venenum erumpit. Instate precibus,
Votísque. *Leand.* Virgo! Mater! ah juva, juva!
Drom. Respiro. *Const.* Spira Dromule, & spera simul,
Cœptum benigna Domina perficiet opus.
Leand. Et nos fideles stabimus votis piis.

O. A. M. D. G.



S. STA-

S. STANISLAUS KOSTKA

ANGELORUM CONVIVA.

ARGUMENTUM.

S. Stanislaus Koſtka Viennæ ad mortem decumbens avidiſſimè ſacrum Viaticum flagitabat; ſed Paterfamilias hæreticus Deo Euchariſtico aditum in ſuas ædes pertinaciter negavit. Quem homines negârunt, Panem Divinum pio Adoleſcenti manus Angelicæ attulerunt, quo refectus Stanislaus brevi etiam integram ſanitatem eſt conſecutus. *Bartoli in vita S. Stanisl.*

Scena figitur Viennæ in domo hæretici Patrisfamilias.

T PER-

PERSONÆ.

S. Stanislaus Koſtka.

Paulus Koſtka, *Stanislai Frater.*

Caſimirus, *Stanislai familiaris.*

Corvinus, *Paterfamilias hæreticus.*

Beryllus, *Corvini filiolus.*

Medicus.

Nigronius, *Magus.*

Dromulus, *Stanislai famulus.*

Stapſylus, *Famulus Pauli Koſtkæ.*

Dorylas, *Corvini famulus.*

PARS

PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

Paulus. Casimirus. Medicus. Stapſylus.

Med. Tibi, mihíque gratulor, ſi, ùt aſſeris,
Valere meliùs incipit frater tuus.
Paul. Ingredere. * Cernis ipſe, qua caruit
diu,
Placida quiete fruitur. *Caſim.* In vultum
quoque,
Et pallida ora vividus rediit color.
Paul. Imò ſolito vivacior. Lætiſſima
Hæc nónne ſunt indicia? *Caſim.* Nempe
tot preces,
Et vota totius Poloniæ nequit
Numen benignum ſpernere. *Med.* Loquar candidè:
Generoſe Domine Koſtka, vel me decipit
Ars Medica, vel - *Paul.* Quid? *Med.*
Frater hac adhuc die
Funus jacebit triſte. *Paul.* Meliora Superi!

* *Aperta ſeneſtra oſtendit cubile, & lectulum, in quo dormit Stanislaus.*

SCENA SECUNDA.

Præter priores Stanislaus. Dromulus.

Stanisl. Quota hora sonuit? *Paul.* Prima, mi frater. *Stanisl.* Mihi
Hæc est secunda, & ultima. O convivium!
Lautum nimis convivium, ad quod evocor!
Jam venio, Mater, venio. *Paul.* Quid convivium?
Quid Mater? *Med.* Æstus nempe febrilis agitat,
Turbátque cerebrum juvenis. *Paul.* O cœlum juva!
Casim. Nôstíne Stanislae me? *Med.* Propiùs cave
Accedere. Imò cede, ne pariter lues
Maligna te corripiat. *Casim.* Ah! utinam loco
Kostkæ Polus me victimam acceptet sibi,
Nil timeo. Stanislae, nôsti me? *Stanisl.* Optimè.
Casimire salve millies, simul & vale.
Ad iter paro me, in patriam à Matre avocor.
Med. Novum, & malum omen: nempe morituri brevì

Ple-

Plerumque itinera ſomniant. *Staniſl.* Frater, nihil
De Matre tu? *Paul.* De Matre? *Staniſl.* Quæ præſens modò
Mihi adſtitit, ſtipata Cœlitum choro.
Maria nempe (Mater hæc enim mea eſt)
Maria ſe ſpectabilem mihi obtulit.
Paul. Et quid tibi Maria? *Staniſl.* Poſt horam, jubet,
Ut ſim paratus. *Paul.* Ad quid? *Staniſl.* Ad convivium,
Convivium Angelorum. Amici, applaudite,
Hora ſupereſt, & Angelorum mox ero
Conviva feliciſſimus. *Caſim.* An hæc ſomnia
Credamus, an deliria? *Paul.* O utinam forent
Aut ſomnia, aut deliria! Aſt - *Med.* Aptè nimis
Sibi cohærent omnia. *Staniſl.* Ultimam modò
Expoſco, frater, gratiam: Viaticum,
Æternitatem dum adeo, ſacrum flagito.
Med. Nequit negari, nec diutiùs decet
Differri, ubi natura cum cœlo ſimul
Jam proximam denuntiat mortem. *Caſim.* Mihi
Committite hoc negotium. Myſtam evoco. *

* *Abit Caſimirus.*

Stanisl. Solum interim relinquite, ut cordis domum
Rite queam parare Divino hospiti.
Med. Beate Juvenis, sis mei in cœlis memor!
Valeto Domine Kostka. *Paul.* Nil spei super?
Med. Ars medica quidnam poterit, ubi cœlum necem
Decrevit ægro?

SCENA TERTIA.

Paulus. Stapsylus.

Paul. - Tot igitur vota respuis,
Fovere semper solita Kostkarum Domum
Maria? Stanislaus in Poloniæ,
Patriæque spes amplissimas per te datus,
Natúsque per te, eripitur in flore medio
Ætatis, ante tempus? Heu me! quid miser
Parentibus respondeam in patriam redux,
Sed absque fratre? *Stapf.* Quid gemens dubitas Here?
Dices, quod est verissimum, esse mortuum
Piissimè, & suavissimè. *Paul.* Ah Mater nimis
Infausta! quid ad hoc nuntium? *Stapf.* Flebit utique,
Paul. Dolore nimio oppressa succumbet; brevì
Natum Parens sequetur ad tumulum. Pater

Mihi

Mihi imputabit filii tristem necem,
Dicárque solus matris, & fratris latro,
Et jure: nam fatebor, asperè nimis,
Et barbarè tractavit innocuum licèt
Hæc dextra fratrem.

SCENA QUARTA.

Paulus. Corvinus. Stapsylus.

Corvin. - - Domine Kostka, quid gemis?
Fortè Medicus denuntiat tristia,
Mortémque fratris proximam? ponas metum.
Scis, quàm maligna febre filiolus meus
Hucusque pressus fuerit. *Paul.* Hoc nostro malo
Docti sumus; nam ignosce, si tandem eloquar,
Quod eloqui justissimus dolor jubet:
Nisi in tuis his ædibus nos invidum
Fatum locâsset, viveret sanus modò,
Valénsque Stanislaus; à puero tuo
Hausit venenum. *Corv.* Ignosce, si tandem eloquar,
Quod eloqui justissimus dolor jubet:
Nisi in meis his ædibus vos invidum
Fatum locâsset, neutiquam puer meus
Vitæ periclum adiisset. A fratre hoc tuo
Hausit venenum. Sed meliùs hæc mittimus,

Quæ noſtrùm utrique non niſi bilem movent.
Conſilia potiùs jungimus. Nempe Medicum
Novum advocavi, cui Vienna non habet
Parem. Spopondit iſte vel proprio quoque
Oppignorato capite, filiolo meo
Se ſanitatem, & integram hac adhuc die,
Horâque redditurum: idem, velis modò
Admittere operam, ſpondet & fratri tuo.
Paul. Fruſtra laborat Medicus, ubi cœlum necem
Decrevit ægri, hanc ipſamet Mater Dei
Maria fratri indixit. Hac adhuc hora
Migrabit hinc. *Corv.* Maria? Quæ deliria,
Et ſomnia hæc! confide tu Medico novo:
Centum Mariis prævalet. *Paul.* Parce, moneo,
Blasphemiis. Es, noſco, Lutheri affecla,
Non vis Mariam colere; ſed caveas tamen
Matrem Dei laceſſere probris impiis.
Corv. Et tu cave contemnere Medicum novum.
Stapſ. Audire ſaltem juverit, ùt ego puto,
Ne negligens dicaris, & parùm anxius
Pro ſanitate fratris. *Paul.* An præſens adeſt? *Corv.*

Corv. In proximo cubiculo. *Paul.* Accedam, licèt
Spei parùm superfit, imò heu! nihil.

SCENA QUINTA.

Stapſylus ſolus.

Miror ego fratris morte contriſtari Herum,
Quinque mihi ſunt fraterculi, ſi una die
Morerentur omnes, quinquies hymnum, vocant
Ambroſianum, dicerem: nam ſic forem
Hæres bonorum, & unicus tam nobilis
Truncus familiæ, qui modò ſum ſurculus
Duntaxat, in ſpes natus incertas adhuc.

PARS SECUNDA.

SCENA PRIMA.

Dromulus. Stapſylus.

Drom. Stapſyle! *Stapſ.* Quid? *Drom.* Oro, me adjuva, atque hanc menſulam
Mecum ad cubile defer. *Stapſ.* Ad quid menſula hæc?
Drom. Viaticum, ſi neſcis, & ſacra unctio

Hero meo parantur. *Stapſ.* Es fauſtus nimis
O Dromule! *Drom.* Et cur fauſtus? imò ſum miſer,
Miſerrimúsque, dum moritur Herus meus.
Stapſ. Hæreditabis plurima ex Heri tui
Spoliis relictis, calceos, & ocreas,
Et neſcio quid. *Drom.* Spolia nulla poſtulo.
Exopto, Stanislaus ut vivat diu.
Spes nulla quamvìs (prô dolor!) vitæ eſt ſuper,
Mecum ſubi conclave, ſed ſine ſtrepitu,
Ne fortè garriendo perturbes Herum.

SCENA SECUNDA.

Stanislaus. Dromulus. Stapſylus.

Drom. Huc modò crucem illam argenteam! *Stapſ.* Talem crucem
Ferrem libenter; quò gravior, hoc charior
Mihi foret. *Drom.* Silentium! * *Stapſ.* Quis hic liquor?
Heu mors in olla! mors in olla! *Stan.* Dromule,
Huc mihi libellum! *Drom.* Illúmne? *Stan.* Non, ſed alterum
Scriptum manu, qui continet praxes pias.

* Stapſylus phialam medicam guſtat.

Jam

Jam prælege hæc notata, sed lentè, & piè.

Drom. legit. Præparatio ad sacram Synaxin.

Pridie hospitium cordis tui venturo Domino præparabis, mundando illud ab omni vel minima labe per sacram Confessionem.

Stapf. Jam pridie Confessio? hoc mihi non placet.

Drom. pergit legere. Tum exornando illud per varia virtutum exercitia juxta illud: Sanctificamini; cras comedetis carnes. Eundem diem jejunus transiges.

Stapf. Totam diem jejunus? à nocte media

Jejunium servare sat durum mihi,
Nec plura petit Ecclesia. *Stan.* At suadet tamen.

Drom. legit. Eadem die cilicio te cinges, ut aliqua ex parte sentias dolores Christi, quem cum sanctissimis vulneribus suis cras suscepturus es.

Stan. Cilicium ergo huc Dromule. *Drom.* Quid, Here, cogitas?
Cilicium moriturus? *Stapf.* Ego sanus licèt,

Va-

Valénsque semper horrui armorum hoc
genus.
Drom. Morbi dolores offeras Deo; sat est.
Cilicii usum Medicus, & gravissimè
Prohibuit. Ægros obsequi Medicis decet.
Stapf. Est obedientia melior, quàm victima.
Drom. legit. *Priusquam obdormias, sanctos Angelos invitabis, ut hac nocte Deum Eucharisticum pro te laudent, & adorent.*
Stapf. Hoc unicum placet mihi in praxi tua:
Imitabor hoc, & Angelos quàm plurimos
Devotus invitabo, qui laudent Deum,
Me dormiente strenuè. *Stan.* Legas modò,
Quas in libello hoc altero scripsi preces,
Quando recitare has nequeo. *Stapf.* Quàm multæ hæ preces!
Satis, nimísque mihi forent pro anno integro.
Generose Domine Kostka, si pateris, novam
Praxin docebo. Commodior ægro hæc erit.
Stan. Quænam illa? *Stapf.* Qua utor ipse, si pro Paschate
Sumo sacram Synaxin: & primò quidem
Confessionem perago sub sacro brevem.
Tum, si supersit tempus, injunctas preces
Pro

Pro pœnitentia impleo, vel si sacrum
Sit jam absolutum, properus ad clathros, ubi
Sacra distribuitur Hostia, accurro; manu
Ter tundo pectus, postea sumptâ Hostiâ
Ter dico Pater & Ave, & quidem flexo genu
Hæc omnia: inde repeto festinus domum.
Stan. Et quid domi? *Staps.* Si prandium, aut jentaculum
Jam sit paratum, accumbo mensæ; sin minùs
Colludo sociis. *Stan.* Tam citò tantum hospitem
Deserere?

SCENA TERTIA.

Stanislaus. Casimirus. Dromulus. Stapsylus.

Casim. - Stanislae, jam stat ad fores
Divinus hospes, unicè optatus tibi.
Audis sonum campanulæ? *Stan.* O lætus nimis,
Et ter beatus auribus meis sonus!
Juvate amici! *Drom.* Quid paras? *Stan.* Flexo genu
Excipere Divinum hospitem decet. *Drom.* Valens,
Sanúsque flectat, at tibi hoc morbus negant, Vires-

Virésque fractæ. *Stan.* Suppleat vires
amor.
* Paulùm, oro, succollate. * Jam Domi-
ne veni,
Tardare noli. Domine, lætus te duce,
Æternitatem ingredior. Itineris comes
Sit JEsus, atque in termino requies mea.
Veni Domine! tardare noli.

* *Erigit se Stanislaus.*

SCENA QUARTA.

Accedit Corvinus, Paulus, & Dorylas.

Corvin. - - Quid? domum meam
His ritibus Papisticis, & impia
Nimis superstitione patiar pollui?
Drome! Doryla! huc citi. *Doryl.* Quid
imperas Here?
Corv. Occludite fores. Ni ocyùs abeat
Popa,
Immittite canes, ut abigant Sacrificulum.
Quin ipse baculo hoc abigo Papistam ca-
nem.

SCENA

SCENA QUINTA.

Stanislaus. Paulus. Casimirus. Stapsylus. Dromilus.

Stan. Sic ergo Domine amplexui eriperis
meo!
Ego tuo! *Casim.* Audis Paule, nec quidquam moves
Pro fratre? *Paul.* Quid movebo? Corvinus domûs
Possessor est. Et interim non amplius
Sacro indiges Viatico frater. Novus,
Præstantiórque Medicus indubius tibi
Servare vitam spondet, & proprium caput
Oppignorat, si fallat. *Stan.* Ah! unus meæ
Est Medicus animæ, Pane sub sacro Deus.
Huic ut patescat aditus, ah Paule! effice.
Paul. Tentabo quidquid potero. Schedam hanc interim
Casimire collo fratris appendas, rogo.
Casim. Qualis, vel unde hæc schedula?
Paul. A Medico novo:
Arcana nempe schedulæ huic virtus inest,
Et vis medendi. Hæc omne morborum genus
Depellit. Hanc fiducia certa gerat,
Teneátque Stanislaus, usque dum novus,
Qui

Qui mox subibit, Medicus aliud imperet.

Casim. Sperare quidquam possumus ab arte Medici,

Quando ipse mortem proximam indixit Polus ?

Paul. Spero, fuisse somnium tantùm pium.

SCENA SEXTA.

Stanislaus. Casimirus. Dromulus. Stapsylus.

Casim. Suspecta res est. Scheda quid possit? mera

Superstitio. *Drom.* Quid contineat intus, vide.

Casim. Ignotus est character, & magicæ notæ.

Conjicite in ignem. *Stapf.* Conjice. Ego non audeo

Vel tangere. *Drom.* Nec ego. *Stapf.* Ecce carbones prope.

* *Casimirus schedam conjicit in ignem, inde fragor, & vapor teter.*

Stan. Quis iste strepitus? *Drom.* Inficit nares odor

Sulphureus. *Stapf.* Et quis fumus exurgit teter ?

Casim. Indicia manifesta magicæ schedæ vides.

Hac arte Paulus tentat indigna tibi

Servare vitam. *Stan.* Prô Deus ! quali in domo,

Quos

Quos inter hodie verſor ! excludunt Deum,
Et advocant orcum. Ah amici ! ah ! Obſecro,
His ædibus me eripite. Portate hinc procul.
Drom. Et quò ? *Stanisl.* In platea publica lubentiùs
Jacebo moriens, dum fruar Deo meo,
Sub Pane ſacro abſcondito. *Caſim.* Meæ tibi
Ædes paterent; ſed in agone jam ultimo
Poſitum movere, quæ temeritas? *Stapſ.* Spiritum
In limine exhalaret. *Stanis.* Exhalem; modò
Non in nefanda hac æde, qua Deus mihi
Negatur Euchariſticus in hora ultima.
Caſim. Tentabo, Stanislae, num vi vel dolo
Aditum has in ædes impetrem Myſtæ ſacro.
Tu Stapſyle pariter urgeas Herum tuum,
Ut ultimum ſolamen hoc fratri impetret.
Stapſ. Videbo, ſi ſe occaſio prompta offerat.

SCENA SEPTIMA.

Stanislaus. Dromulus.

Stanisl. Iterum, puto, ſonuit horâ. *Drom.* Tertius quadrans.
Stanisl. Ergo quadrans ſupereſt adhuc vitæ; hanc tibi
O Domine promptus immolo. Lubens deſerit
Hoc corpus anima, dummodo Corpus tuum
Sanctiſſimum liceret amplecti ultimò,
Et condere hoc in corde morituro unicum
Cordis mei ſolatium! *Drom.* Spera bene,
Caſimirus hoc efficiet. *Stanisl.* Humana nihil
Ab arte ſpero. Sola ſpes mea eſt ſita
In te Maria. O Mater, indulge ultimum
Solatium hoc, & Filium, quem homines negant
Admittere hæc in tecta, Tu cordi meo
Immitte. Fac, amplectar in terra ultimùm,
Quem, Te favente, amplectar in cœlis brevì.
Non poſco plura. Tu quoque morientium
Patrona Diva Barbara Clienti tuo,
Quod vivus à te petiit, in morte impetra.

PARS

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

Paulus. Corvinus. Nigronius. Beryllus.

Nigron. Ex quo Berylle tempore nihil amplius
Pateris dolorum? *Beryll.* Ex tempore illo, quo Pater
Hanc schedulam suspendit è collo meo.
Corvin. Omnino vis stupenda medicinæ tuæ!
Paul. O si illa sortiatur effectum parem
In fratre Stanislao, & - *Nigr.* Effectum meæ
Medicinæ uterque mox stupebitis magis
Mirabilem. Depellere dolorem, parùm est,
Commune Medicis pluribus; sed pristinum
Ægro vigorem reddere, & in una die
Ex integro sanum, & valentem sistere,
Hoc artis est miraculum, hoc præsens dies
Stupebit. *Corvin.* O quæ prœmia, virorum optime,
Quæ digna dabimus munera! *Paul.* Haud tantum peto

Miraculum artis, nec die unica integram
Mox sanitatem redditam fratri: modò
Mortem propinquam effugiat, optatum
feres,
Et liberale prœmium. *Nigr.* Famam peto,
Non prœmium. *Corv.* Referes utrumque.
Convoco
Omnes amicos, atque cognatos, tuæ
Testes futuros artis. Applaudet tibi
Vienna tota. *Paul.* Quin Polonia pariter
Tua celebrabit nomina. Ad fratrem modò
Accede meum.

SCENA SECUNDA.

Paulus. Nigronius. Stapsylus.

Paul. Stapsyle, quid agit modò?
Valétne Stanislaus? *Staps.* Ita, Vale ultimum
Mox dicet orbi. *Paul.* Schedulam, quam
tradidi,
Casimirus ánne appendit ægroto, & quis
hinc
Effectus? *Stapſ.* Admirabilis! Adhucdum stupor
Totum occupat me. *Paul.* Quid igitur?
Stapſ. Vix schedula
Injecta flammæ est, terribilis inde strepitus;
Tetérque fumus exiit. *Nigr.* Quid?
Schedula In-

Injecta flammis? *Paul.* Et quis hoc ausus
nefas?
Tu fortè vecors bellua? *Stapf.* Ignosçe,
nec ego,
Nec Dromulus vel tangere ausus sche-
dulam.
Casimirus ipse injecit. *Paul.* Et cur?
Stapf. Credidit
Schedulam esse magicam. *Nigr.* Jam
Domine Kostka valeas.
Paul. Ah! Obsecro, ne deseras ægrum.
Novum
Citus parato pharmacum. *Nigr.* Ut flam-
mas novas
Alatis? *Paul.* Ausus impudens pueri fuit,
Illúmne Stanislaus innocens luat,
Luátque mecum tota Kostkarum Domus?
Miserere nostri, & totius Poloniæ.

SCENA TERTIA.

Accedit Personis prioribus Dromulus.

Drom. O quæ audii! Prodigia quæ vidi! nimis
Beata mors! *Paul.* Jam mortuus frater
jacet?
Drom. Nimis beata morte!

SCENA QUARTA.

Acedit Casimirus.

Casim. ad Paul. - - Soli verbulum
Agnate. *Paul.* Soli verbulum! Fratris latro
Te proripe hinc; aut - *Nigr.* Forsitan hic est, qui meum
Injecit igni pharmacum? *Casim.* Non pharmacum,
Sed impiam, magicámque promeritis dedi
Schedam ignibus. *Nigr.* Méne ergo proclamas magum?
Paul. ad Casim. Os opprime, & recede, vel nequeo manum
Cohibere, quin - *Intra Scenam Corvinus clamat:* Domine Nigroni citò citò. *
Stapf. ad Casim. Recede, quæso; cernis, ùt Paulus furat.
Casim. ad Paul. In me? *Paul.* Latronem fratris impunè feram?
Per te, scelestè, frater exanimis jacet.
Casim. ad Drom. Obiítne Stanislaus? *Drom.* Obiit, sed nimis
Fausta, & beata morte, ab Angelica manu
(Ut ipse vidi, & audii totus stupens)
Sacro refectus Pane, mox clausit oculos,

* *Abit Nigronius.*

Et

Et ore blando quasi renidens spiritum
Placidissimè exhalavit. Ipsimet modò
Cernite.

SCENA QUINTA.

Stanislaus. Paulus. Casimirus. Dromulus. Stapsylus.

Paul. * - - Quid hoc? extra thorum quis extulit
Cadaver huc? an Dromulus? *Drom.* Movi nihil.
Nec capio. *Casim.* Stanislae! *Stanisl.* Quis Dei mei
Amplexibus suavissimis me jam eripit?
Paul. Vivísne frater? *Stanisl.* Vivo sanus, & valens.
Hæretis attoniti? Potentem dexteram
Stupete Magnæ Matris. *Paul.* Anne hæc mortuum
Vitæ restituit? *Stanisl.* Mortuus nunquam fui.
Drom. Certè jacebas mortuus. *Stanisl.* Jacui extasi
Nimis suavi abreptus. *Casim.* Ergo mors tibi
Denuntiata, ùt dixeras, à Virgine
(Laudes Deo sint) somnium tantùm fuit?
Stan. Non somnium, ast oraculum verum fuit.

* *Aperto cubili cernitur extra thorum humi prostratus Stanislaus.*

Ad Angelorum nempe convivia pia
Me Mater invitaverat, & intra horulam,
Ut ſim paratus, juſſerat. Quid crederem
Niſi propinquam inſtare jam mortem mihi,
Poſt quam Angelorum, & Cœlitum in cœlis brevì
Conviva ſim futurus? *Caſim.* Haud alio modo
Interpretati oraculum omnes nos ſumus.
Paul. Quàm gaudeo, quòd non ſit impletum! *Stan.* Tamen
Oraculum eſt impletum. Ab Angelica manu
Panem Angelorum ſumpſimus. Sacram dapem,
Cui vos domum clauſiſtis, Angelicæ manus
Huc detulêre. Fortium hic cibus novas,
Tantásque vires corpori ægro contulit,
Ut, quod ſtupetis, ſanus hîc adſtem, & valens.
Paul. O quas Mariæ tota Koſtkarum domus
Grates habebit! *Caſim.* Tota quin Polonia
Quantùm Mariæ debet! *Drom.* O quantùm jam Here
Tibi, mihíque gratulor. *Stapſ.* Et ego gratulor.

SCE-


SCENA ULTIMA.

Perſonis prioribus accedit Corvinus.

Corv. Heu! heu! Berylle! mi Berylle! me Patrem
Miſerrimum! Beryllus heu! funus jacet!
Maledicte Medice, impoſtor, infamis mage!
Redde mihi, redde filium. *Stan.* Indoleo quidem,
Sed vindicantem Numinis læſi manum
Agnoſce. Divino hoſpiti in domum tuam
Aditum negâſti. Crimen in nato luis.
Corv. Quid iſta? Stanislaus an adſtat valens?
Caſim. En! quid Maria poſſit. *Paul.* An medicus tuus
Centum Mariis prævalet? luis improbam
Blasphemiam. *Corv.* Maledicta ſcheda tu necem
Meo attuliſti filio! ô impoſtor mage!
Huc Inferi! atque abripite cum nato Patrem!
Caſim. En! Domine Paule, adhúcne me furens vocas
Fratris latronem? *Paul.* Ignoſcite errori meo
Uterque. Video; qualis infelix puer
Jacet, jaceres frater orcino dolo;

Me sanior Casimirus avertit malum
Flamma salubri. Debeo fratrem tibi
Agnate vivum. *Casim.* Non mihi, sed Virgini,
Magnæque Matri gratias mecum refer.
Stan. Ita est. Maria Mater est verè mea.
Vitam dedit, servavit, & miro modo
Pane Angelorum filium pavit suum.

O. A. M. D. G.



POE-


POENA CONTEMPTI

MISSÆ SACRIFICII.

ARGUMENTUM.

DUo Illuſtris proſapiæ adoleſcentes fratres comite tertio cognato ſuo, Euſtachium dicimus, manè venatum egreſſi ad ſacram in ſylvis ædiculam deferuntur. Monuit ſocios Euſtachius, opportuna ſacri, quod tum ibidem dicebatur, audiendi occaſione uterentur; feliciore exin venationis ſucceſſu promiſſo. Riſêre devotulum fratres gemini, non ſine ſacri contemptu feras inſecuti, ſed funeſto exitu, quem ſcena docebit. *Ex ficta Relatione.*

PER-



PERSONÆ.

Cervinus, } *Illuſtres fratres.*
Hubertus, }

Euſtachius, *priorum cognatus.*

Actæon, *Venator.*

Vulpulus, *Actæonis filius.*

Mopſus, *Ruſticus.*

PARS

PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

Euſtachius. Hubertus.

Euſt. Exivimus malo omine. Haud favet hodie
Nobis Diana. Ne lepuſculi quidem
Veſtigium deprêndo, nec vocem audio
Aviculæ vel unius. *Hubert.* Næ tu impiger
Venator es cognate. Cuperes ſcilicet,
Ut, quod tibi contingere ad menſam ſolet,
Contingat etiam in nemore : ut aſſati advolent
Turdi, lepuſculique. Non illico decet
Animum abjicere. Gertiſſimam prædæ mihi
Pinguiſſimæ ſpem ſomnium heſternum facit.
Euſt. Et quale ſomnium illud? *Hub.* Unica ſclopi
Exploſione me hinnulos binos ſimul
Straviſſe ſomniaveram. *Euſt.* Eſt gravis ſpei
Certiſſimæ author, ſomnium ! *Hub.* Non omnia

Scena refert ſylvam.

Sunt

Sunt vana semper somnia. Implebit dies
Oracla noctis. Sequere. Sylvarum intima
Subimus. *Eust.* Imò jam domum tempus vocat.
Hub. Cur? utique necdum prandii est tempus? *Eust.* Sacri
Sed audiendi. *Hub.* Quid Sacris opus hac die;
Quæ festa non est? *Eust.* Festa non est: sed tamen
Nolim Sacrum negligere; nam - *Hub.* Non præcipit
Ecclesia Sacro adesse non festa die.
Eust. Non præcipit, fatebor, at suadet tamen.
Imò Mariana lex Sodalibus quoque
Præscribit, ut, si occasio sese offerat, -
Hub. Vacationum tempore hæ leges silent.
Eust. Sodalitatis? *Hub.* Ecce Cervinus redit.

SCENA SECUNDA.

Eustachius. Hubertus. Cervinus.

Hub. Favítne tibi Diana? *Cerv.* Non multùm. Unicam
Hanc concava sub arbore latentem dedit
Fortuna volucrem. *Eust.* Num palumbem? ostende sis.

Cerv.

Cerv. Quin bubo tantùm eſt. *Hub.* Apage feralem hanc avem.
Mihi meliora ſomnium ſpondet meum,
Geminámque prædam ex unico jactu ſclopi.
Luſtremus igitur intimum porrò nemus.
Cerv. Actæona exſpectemus. Haud aberit procul.
Hac interim quieſcimus in umbra arborum.
Euſt. Quin jam monente tempore redimus domum,
Sacro adfuturi. *Cerv.* Quis Sacrum hac hora tibi?
Euſt. Qui legere paulò antè decimam ſemper ſolet
In arce noſtra Myſta. *Cerv.* Sed modò jam fluit
Undecima. *Euſt.* Quid ais? undecima?
Cerv. Viden'. * *Euſt.* Miſer! | * *Promit è ſacco horologium rotatum.*
Non ſentientem abripuit incenſus nimis
Venationis ardor! heu! *Hub.* Quid ingemis
Inſane? potiùs plaude: nam à Sacro modò
Legitimè excuſatus es. *Euſt.* Totam diem
Jam perdidi. *Cerv.* Cur perditam dicis diem?
Euſt. Nil proſperè ſuccedet omiſſo Sacro.
Cerv. Ridicula ſuperſtitio. Quæſo, quænam anus
Te docuit iſta? *Euſt.* Propria me experientia

Hæc

Hæc docuit. *Cerv.* Et me docuit experientia
Contrarium; dum nupera Solis die
Chartam, aleásque miscui omisso Sacro,
Mirè faventem sortis expertus Deam,
Decem lucratus sum aureos. *Hub.* Attendite!
En! inter hæc dumeta se movet fera.
Cerv. Utinam se hinnulus mihi offerat!
Hub. Quin ursus est. *Eust.* Quid? ursus?
Hub. Ast ursus cicur.

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedit Mopsus lumen ferens in lucerna.

Cerv. Quò properat hic Diogenes? *Mops.* Mopsus vocor,
Et non Diogenes. Probris absistite.
Hub. Quonam ergo tu cum lumine hoc in meridie?
Mops. Ita, jam meridies est. *Cerv.* Sed ad quid lumen hoc
Plena die in lucernula? *Mops.* Ne scilicet
Extinguat illud ventus. *Cerv.* At cur de die?
Et quos ad usus ista? Quem ad finem? Stupor!
Mops. Hæc neutiquam ad finem, sed ad initium Sacri

De-

Deferre jubeor. *Eust.* Quid ais? an Sacrum modò
Dicetur? & ubi? *Mops.* In proxima hac ædicula,
Divo sacrata Eustachio. Vis forsitan
Servire ad aras? si placet, mecum veni,
Poteris mereri Crucigerum.

SCENA QUARTA.

Eustachius. Hubertus. Cervinus.

Eust. - - - - - Euge! Cœlites
Occasionem denuo optatam offerunt
Sacrum audiendi. Pergimus ad ædem sacram.
Cerv. Tu perge nostra pace. Me nemus juvat
Plùs, quàm sacellum. *Hub.* Nec ego sylvas ambii
Studio precandi. *Eust.* Dedimus horas quattuor
Venationi, demus aliquid & Deo.
Cerv. An Monachus es tu? *Hub.* Dedimus horas quattuor
Venationi, sed nihil adhucdum tamen
Prædæ retulimus. *Eust.* Forsan ob id ipsum, quia
Negleximus, quod debitum fuerat Deo.
Cerv. Monialis! ô Monialis! omitte, obsecro,

ſtas a nil es nænias; aut me ultimùm
Vides ſubire nemora tecum.

SCENA QUINTA.

Perſonis prioribus accedit Mopſus.

Mopſ. . . . . Jam ſacras
Veſtes Sacerdos induit. Veni citus,
Et ſervi ad aras. *Euſt.* Venio; ſed mecum ſimul
Venite fratres, oro. *Hub.* Jam dixi priùs,
Venationis gratiâ ſubii nemus,
Et non precandi. *Euſt.* Proſperè dein magìs
Venatio ſuccedet. Et votis quoque
Euſtachius favebit. Hic venantium
Patronus eſt, ùt nôſtis, atque proxima
In æde colitur. Nunquid? *Mopſ.* Ita. *Hub. ad Cerv.* Quid judicas
Cervine? ſaltem amore Divi Euſtachii
Venantium Patroni an ædem accedimus
Sacro adfuturi? *Cerv* Sed - Quis hoc dicet Sacrum?
Mopſ. Aliquis Sacerdos. *Cerv.* Stupor es. *Mopſ.* Ita. *Cerv.* Qualis, peto,
Hic ſit Sacerdos? forſitan tardus ſenex,
Qui Miſſam ad horam protrahens libram integram
Ceræ Sacro comburit? *Mopſ.* O! nihil minus.

Intra

Intra quadrantem dexterè absolvit Sacrum.

Hub. Novítne Missam legere venatoriam?

Mops. Ita, pro benigno in rusticos, & mortuo
In pace venatore dicetur Sacrum.

Hub. Erit igitur brevissimum. *Mops.* Si vis, quoque
Monebo Mystam, ut properet, & solito magis.

Eust. Imò potiùs monebis, ut cum debita
Gravitate, lentéque peragat mysterium
Adeò tremendum.

SCENA SEXTA.

Personis prioribus accedit Actæon.

Actæon. Huc, huc citi! canis meus
Vestigia feræ, nescio cujus, modò
Deprēnderit. Nam more non solito latrat.

Hub. Qua parte nemoris? *Actæon.* Dextera, & non hinc procul.

Cerv. Venio sine mora. Sequere me Huberte. *Hub.* Faveat
Diana! *Eust.* Sistite obsecro, & Sacrum prius - - * A aut.

Ignosce cœlum fratribus, & omen malum
Averte. Timeo, ne Sacrum spretum luant.

PARS ALTERA.

SCENA PRIMA.

Cervinus. Hubertus. Actæon. Vulpulus.

Actæon. Jam sera sunt litigia. Quid multis opus?
Uterque vestrûm erravit, & cervi hinnulus
Evasit. *Cerv.* Est falsissimum. Certò fera
Præda jacuisset, perfidus nisi silex
Ignem negâsset. *Hub.* Me quoque fefellit sclopus;
Concepit ignem seriùs, quàm oportuit.
Vulp. Mus, qui unico antro clauditur, mus est miser.
Cerv. Quidquid sit, error utique reparari potest.
Ad Actæonem. Age denuo persequere fugientem feram.
Et coge canibus, denique ut nostris sclopis

Sese

Sese objiciat. *Actaeon.* Ut nempe aberretis iterum?

Hub. Jam cautiores erimus. Ex sylvis ego
(Sic juro) non exibo, nisi prostravero
Aut hinnulum, aut lepusculum saltem.
Actaeon. Bene.
Tentabo quidquid potero; sed dein- *Hub.* Utique.
Dubitare noli, congiarium feres.
Cerv. Cedemus occisi hinnuli pellem tibi.
Vulp. Ex his nova mihi femoralia confici
Parens jubebis. Nunquid? *Actaeon.* Hîc sistite igitur,
Et occupate utrumque sylvarum latus.
Vulp. Et quae mea fiet statio? *Cerv.* Nobiscum mane,
Promptúsque, si conspexeris feram, mone.

SCENA SECUNDA.

Cervinus. Hubertus. Vulpulus.

Hubert. Bene, Interim jam denuo onerabo sclopum.
Felicior erit jactus alter, quàm prior,
Et somnium complebitur. *Cerv.* Avarum nimis
Te somnium facit. Hinnulos binos tibi
Promittis? *Hub.* Et quidem unico jactu.
Cerv. Precor,

Ut somnium impleatur. *Hub.* Ast ubi pyrius
Pulvis mihi, glandêsque plumbeæ? nihil
Invenio. Num fors perdidi in via omnia?
Vulp. Pro more, credo, abstractus ad mensam domî
Reliqueris. *Hub.* Curre igitur ocyùs puer,
Ex arce pyrium pulverem refer mihi,
Plumbúmque. *Vulp.* Curram lepore, vel vulpe citiùs.
Sed interim dic hinnulo, ut reditum meum
Exspectet. *Cerv.* Insanitis. Huc sclopum mihi,
Ipsus onerabo pulvere, & plumbo meo.
Hub. Præstabis obsequium mihi. * Reddam vices.

* *Cervinus onerat Huberti sclopum.*

Vulp. Ast ubi Dominus Eustachius? *Hub.* Ad aras adhuc
Hærebit. *Vulp.* Est mirabilis hic homo. Hinnulos,
Leporésque negligit hodie, ut possit Sacro
Adesse. *Cerv.* Nempe Monachus est Eustachius.
Vulp. Nunquid Domine Cervine, tibi generosior
Est indoles? nam pro unico lepusculo
Audes Sacrum negligere, vel festa die.
Cerv. Et jure. Missas namque, quoties voluero,

Habere

Habere possum; at obvias semper feras
Non habeo. *Vulp.* Dicis optimè. *Hub.* Ast
quid hîc agis
Cervine? gemina glande cur oneras sclopum?
Cerv. Quia geminam tibi somnium & jactu unico
Prædam spopondit. Jam cape oneratum sclopum.
Sed si hinnulos prostraveris binos, mihi
Debebis unum cedere. *Hub.* Omnino. Tuam
Partem obtinebis. *Cerv.* At quis hic sonitus nolæ?
Hub. Ex proxima hac ædicula. Sacra scilicet
Hostia levatur. *Vulp.* Imò jam jam Agnus Dei
Pronuntiatur. *Hub.* Igitur illico Sacrum
Erit absolutum. Accedimus tantisper, &
Benedictionem accipimus, ut venatio
Felicius succedat. *Cerv.* An tuos quoque
Invasit animos impia superstitio, nil
Credis futurum prosperum, nisi per preces?
Hub. Noli nimis negligere frater res sacras.
Cerv. Quas res Sacras? Quid illa crux Mystæ manu
Formata proderit? ipse jam dudum crucem

Formare didici. *Hub.* At altior virtus tamen
Ineſt ſacratæ dexteræ. Intremus igitur
Tantiſper. *Vulp.* At quid ſi interim occurrat fera,
Et hinnulus, lepuſculúsve? *Cerv.* Bene mones.
Dein, quod audîſti utique, Sacrum funebre
Eſt, próque venatore. Non ulla dabitur
Benedictio. *Vulp.* Quid? ergo venatoribus
Nulla Benedictio datur? *Hub.* Id verum quidem.
Vulp. Video! video! *Cerv.* Quid? vel ubi? *Vulp.* Planè eſt hinnulus
Cervinus, & pulcherrimus. *Cerv.* Præda hæc mihi
** Abit Cervinus.* Debetur hodie. * Curro. *Vulp. ad Hubert.* Num tu nil vides?
En! inter hæc dumeta. Nunc ſiſtit, modò
Curſum retorquet. *Hub.* Video, jam video. Fave
Diana.

SCENA TERTIA.

Vulpulus. Mopſus.

Vulpul. * Dech. Dech. Dech. Citò huc! Bau! Bau! Modò huc!

** Strepitum facit manibus, & imitatur canum latratum*

Ferite!

Ferite! *Mopsus* * Dech, Dech! Bau! * *Mopsus aliquot alapas Vulpulo infligit.*
Puer nimium insolens!
Quis iste clamor ad fores ædis sacræ
Durante Missa? *Vulpul.* Rusticus alapas mihi?
Hinc apage, vel trajicio te velut aprum. **
Mops. Hêu!
Sum saucius, sum mortuus. Mystam, citò
Mystam vocate!

** *Vulpulus sclopum dirigit in Mopsum. Intra scenam exoneratur sclopus, audito sono territus humi procumbit Mopsus.*

SCENA QUARTA.

Accedit Hubertus.

Hubertus. - Vulpule age, curre ocyùs,
Et quære jam feliciter stratam feram.
Quid trepidus hæres? *Vulp.* Túne laxâsti sclopum?
Hub. Feliciter prostratus hinnulus jacet.
Curre modò, adhuc palpitantem reperies,
Propínqua dumeta inter. *Vulp.* Ingenti metu
Me liberas: nam credidi audito sono
Sclopum meum laxatum, & invito licèt
Me, vulnerâsse hunc rusticum. * *Hubert.* * *Abit Vulpulus*
Quid hominis hoc?

Mopsus.

quæsiturus prædam.

Mopsus. Ah Domine! Nunquid mortuus
sum? *Hubert.* Mortuus?
Mops. Certè audii horribilem sclopi sonitum, nisi
Omnino jam sum mortuus, saltem miser
Sum graviter ictus. *Hubert.* Ictus in cerebro tuo
Es graviter, ùt videtur. *Mops.* In cerebro? igitur
Lethale vulnus est. Sacerdotem citò
Inquiro, qui me absolvat. *Hub.* Inquire Medicum
Ex Insula Anticyra, & - -

SCENA QUINTA.

Hubertus. Vulpulus. Eustachius.

Vulp. - - - Io! reperi hinnulum
Pulcherrimum! juvate! * non solus queo
Portare. *Hub.* Ades in tempore Eustachi. Vides
Prædam relatam, somnium impletum vides,
Ex parte saltem. *Hub.* Túne stravisti hanc feram?
Hub. Et tempore illo, quo Sacro me volueras
Adesse. *Vulp.* Nunquid monueram bene, ne Sacrum
Accederes. *Hub.* Nunc ipsus Eustachi vides,
De-

** Attrahit Vulpulus juvante Huberto ex dumetis prostratum cervi hinnulum.*